

13-C-117

CONGRESSUS IURIDICUS INTERNATIONALIS

VII SAEC. A DECRETALIBUS GREGORII IX
ET XIV A CODICE IUSTINIANO PROMULGATIS

12-17 NOVEMBRIS 1934

SCHEMATA
RELATIONUM



ROMAE

APUD PONTIFICIUM INSTITUTUM UTRISQUE IURIS
PIAZZA S. APOLLINARE 49

CONGRESSUS IURIDICUS INTERNATIONALIS

VII SAEC. A DECRETALIBUS GREGORII IX
ET XIV A CODICE IUSTINIANO PROMULGATIS

12-17 NOVEMBRIS 1934

Schemata relationum


De Iustiniani in Codice renovando ministris

B. Kübler

Universität, Erlangen

Anno 534 p. Chr. n. Iustinianus iussit Tribonianum magistrum ex quaestore et ex consule, legitimi operis sui ministrum, Dorotheum, Beryti legum doctorem, Menam, Constantinum, Iohannem, viros eloquentissimos, togatos fori amplissimae sedis, codicem Iustinianum quinque annis ante publicatum emendare, supplere, renovare. Tribonianus, totius operis antistes, iam inter prioris Codicis opifices fuerat. Dorotheus autem, a priore Codice alienus, nunc demum ad opus advocatus est, Theophilo, collegae Constantinopolitano substitutus. Una hi duo professores sub praesidio Triboniani Institutiones conscripserant. Qua causa motus imperator ad novum Codicem elaborandum Dorotheum in locum Theophili adsciverit, nescimus. Ii, qui putant Theophilum tunc iam mortuum esse, vereor ne errent. Nam cum constet eum ad tres primas Digestorum sive ad libros I-XIX, fortasse ad partem quartam, Indicem confecisse, fieri non potest quin Codici novo aliquot annis supervixerit. Certe tamen Dorotheus minor natu erat quam Theophilus. Nam

Darem od Rev
K. Jur. č. 6124.



post annum 542 scripsit Indicem ad omnes libros Digestorum. Fortasse Imperator hominem minorem maiori praetulit.

Inter omnes ministros legitimi operis Iustiniani eminet Tribonianus, magister officiorum et quaestor sacri palatii, quem Imperator ob doctrinam, industriam, fidem summis laudibus extollere nulla occasione oblata omisit. Suidas duos Tribonianos eiusdem aetatis adfert, quorum uterque e Pamphylia oriundus togatus fori amplissimae sedis fuerit. Alterum Iustiniani ministrum et Suida seu potius Hesychio teste eius adulatorem fuisse; alterum multos libros ad philosophiam, rhetoricam, astronomiam partim versibus partim sermone soluto scripsisse. Hos inter se diversos esse difficile est credere. Duo articuli Suidae ad eundem hominem pertinent. Hoc convenit eis quod Procopius, Triboniani aequalis, narrat, eum omni genere litterarum eruditissimum fuisse. Inter libros eius quos Suidas enumerat, sunt Ὑπατικὸς καταλογόδην εἰς Ἰουστινιανὸν αὐτοκράτορα. Βασιλικὸς εἰς τὸν αὐτόν. Περὶ μνηῶν ἐναλλαγῆς, ἐπιχώσ. Apparet haec opera temporibus consulum et regum certius definiendis destinata fuisse, fortasse etiam diebus, quibus constitutiones principum editae, acceptae, propositae erant, indagandis, de qua re librum de permutatione mensium egisse crediderim. Ex his libris, quorum duo Iustiniano dedicati erant, Imperatorum ingenium viri prudentissimi cognovisse eumque aptissimum et dignissimum, qui se consilium operis legitimi expediret, putasse non est quod a vero abhorreat. Quocumque modo res se habet, Tribonianus, dum vivebat, numquam favore principis destituebatur. Cave credas hoc anno 530 factum esse, cum dignitate quaesturae dimitteretur. Nam tunc imperator plebi saevienti cessit. Paulo post seditione superata eum restituit. Cum Codex redintegraretur, Tribonianus magister officiorum, anno sequenti iterum quaestor sacri palatii factus est. Eum usque ad vitae supremum exitum in venia principis integra remansisse Procopius docet. Quando mortuus sit, incertum est. Plerique eum anno 545 vel postea decessisse putant. Successit ei in quaesturae dignitate Iunilus, huic post septem annos Constantinus. Hoc Procopius in historia arcana refert. Iam cum historia arcana anno 550 scripta sit, sequitur ut Tribonianus non post annum 543 mortuus esse possit, immo ut iam antea, fortasse anno 542 mortuus sit.

Quaestor sacri palatii vox legum dicebatur; voluntas principis ei dictionis eloquio expedienda erat. Sed dubitari nequit, quin Tribonianus vota principis edicere satis non habuerit, sed plura et altiora affectaverit. Ne suasorem quidem legum esse ei suffecisse putaverim, nec dubito eum auctorem totius operis legitimi dicere. Certe excogitavit numeros librorum et titulorum et rationem, qua fragmenta ex libris, iurisprudentium excerpta et constitutiones principum dividerentur, disponerentur, in singulos libros et titulos distri-

buerentur, mutarentur. Merito igitur iurisprudentes culti temporibus resurgentium litterarum cum veteres iurisconsultos Romanos Byzantinis praeferebant, veteres summis laudibus extollerent eorumque in libris solum ius genuinum Romanum esse docerent, convicia et maledictiones non in Iustinianum, sed in Tribonianum iaculati sunt. Hunc odio acerbissimo persecuti sunt. Crimini ei dederunt, quod libros veterum de medio sustulisset, quod doctrinam eorum interpolationibus corrupisset, ita ut quid illi docuerint, e congerie lutulenta Triboniani iam erui non possit. Hi a vero longe aberrasse mihi videntur. Tribonianus enim scripta veterum ut deleverit, tantum abest, ut ea nobis servaverit. Quoniam autem Imperator voluit iudices ex Digestis et Codice ius haurire, Tribonianus facere non potuit, quin locos ex scriptis veterum excerptos iuri suae aetatis accommodaret. Quis vero est qui eum vituperare audeat, quod praecepta iuris Romani oleo religionis Christianae tinxit? Immo quicumque aequae cogitat et iuste iudicat, admirabitur, quod tantum opus tam brevi spatio temporis perfecit. Ne dictio quidem eius contemnenda est. Non caret dignitate, elegantia, vigore. Ut homo Graecus, qui linguam latinam non a puero loquebatur, sed per magistros didicerat, vitia grammatica non semper vitabat, sed tamen hac lingua facile, ne dicam splendide utebatur. Facile est ei obtrectare, eum equiparare difficile.

De Codicis Iustiniani originalitate

P. Collinet

Université, Paris

Auctor huius relationis in animo habet, sicut circa Digesta Iustiniani olim fecit, proprias notas, quae Codicem Iustinianum ab aliis Imperii Romani codicibus separant, ostendere:

1. Codex Gregorianus et Codex Hermogenianus quidem erant opera a duobus iurisconsultis composita; Codex Iustinianus vero ad exemplum Codicis Theodosiani est opus ab Imperatore iussum. Codicis Iustiniani tam veteres quam novi fontes hoc loco referuntur.

2. De Codicis Iustiniani ordine: libri, tituli, leges.

3. Codex Iustinianus est opus, quod nunc legislativum dicimus; itaque leges a Codicibus Gregoriano et Hermogeniano excerptae novam naturam sumpserunt.

4. Codex Iustinianus etiam est opus quod maxime ad pragmaticorum

usum pertinet; Digesta Iustiniani autem simul pro prudentibus et pragmaticis promulgata erant. Haec propria Codicis natura demonstrabitur: A) ab Iustiniani legibus; B) ab anteiustinianarum legum interpolationibus, quarum tam magna copia quam recognitionis modi hic describendi sunt.

5. Codex Iustinianus denique est romano-byzantinum opus, cuius summae a classico romano iure dissimilitudines ultima relationis parte explanabuntur.

Ius canonicum in Codice Iustiniani

B. Biondi

Università Cattolica, Milano

Opiniones historicorum, sive ecclesiasticorum sive laicorum, circa relationem inter imperium civile et Ecclesiam, et inter ius civitatis et ius canonicum lato sensu, tempore Iustiniani, non semper adprobandas esse puto. Nam non subordinationem Ecclesiae erga imperium, ut vulgo dicitur, fuisse censeo, sed proprie consonantiam et symphoniam, ut dicit ipse Iustinianus (Nov. 7, 2), qui adfirmat sacerdotium et imperium maxima dona Dei ex uno eodemque principio procedentia esse (Nov. 6 Praef.).

Idem Iustinianus Ecclesiam sustinere imperium confitetur (c. 42 C. 1, 3), et imperii salutem in sanctissimam Trinitatem reponit (c. 41 C. 1, 3).

Ergo etiam humano legislatori Ecclesia et eius doctrina apparet aliquid prius et potius quam imperium.

Multae et maximae constitutiones tam ipsius Iustiniani quam anteriorum imperatorum inveniuntur in Codice de materia ecclesiastica, et permultae Novellae constitutiones ab ipso Iustiniano post Codicem de eadem materia promulgatae sunt.

Sed tales leges sacram scripturam, doctrinam apostolorum et patrum nec non decisiones conciliorum semper secutae sunt. Iustinianus plerumque emanasse legem secundum ius canonicum confitetur; sed etiam sine hac relatione, facile explorari potest legem a iure canonico proditam esse. Iustinianus denique expliciter iuri canonico eandem vim atque potestatem legum adtribuit (c. 44 C. 1, 3); divinam sanctionem potiore esse putat quam humanam (c. 41 C. 1, 3), et ipse imperator custos sacrorum canonum vocatur.

Nulla dissonantia inter leges et ius canonicum in Codice Iustiniani inveniri potest.

Unde, re melius perspecta, historia iuris ecclesiastici incipere non a iure romano, id est a legibus Imperatorum christianorum et praecipue Iustiniani, sed a iure canonico, id est a iure divino et ecclesiae credendum est.

De fontibus iuris secundum Codicem Iustinianum

F. De Visscher

Facultés Catholiques, Lille

Collatione titulorum Codicis Iustiniani ad fontes iuris pertinentium cum similibus titulis Codicis Theodosiani in lucem profertur qua maxime forma ius processerit per hoc tempus. Rescripta, vestigia ultima priorum temporum, paulatim ut fontes iuris evanescent, simul atque firmatur auctoritas veterum iurisprudentium. Magni momenti sunt in hac mutatione praescriptiones Theodosii II et Valentiniani III quae, dum fontes antiquos colligere et emendare conantur, formam etiam et auctoritatem constitutionum definiunt. In Codice Iustiniano ius Romanum ad formam praecipue legitimam regressum videtur; *interpretatio* sola remanet ars iuris peritorum.

*Constitutioni 1 Cod. Iust. 7, 7 de servo communi manumisso
utrum ius Romanum an ius orientale subsit, quaeritur*

L. Wenger

Bayer. Akad. d. Wissensch. München

Codicis Gaiiani fragmentum PSJ ii82, quod nuper Arangio-Ruiz edidit, cum alia gravissima nos docuit tum priscam illam iuris civilis societatem in qua consortii ab aliis scriptoribus parum dilucide descripti certam et veram formam cognovimus. Ut enim haec societas inter fratres patre mortuo legitima et naturalis oriebatur, ita inter alios conceptis verbis et iure coniungi poterat. Quod autem hac in societate unus ex sociis communem servum manumittendo liberum faciebat et omnibus libertum adquirebat, cum classicae aetatis iurisprudentes (Ulp. 1, 16; Paul. 4, 12, 1) contraria ratione manumissionem ab uno socio pro virili parte factam irritam esse docerent, tali discrepantia impulsus denuo inquisivi, quo iuris exemplo Iustinianus ad constitutionem de servo communi ab uno socio manumisso uti posset. Eiusmodi enim manu-

missionem Iustinianus ratam habet eamque post partes omnium reliquorum venditione comparatas ad plenam libertatem conduit. Sic viam monstrare licet quae multo propius ad antiquum illud societatis ius adpropinquat, longe autem distat a sententia Ulpiani atque Pauli. Sed cum exempla manumissionis ab uno socio ex parte sua factae et in papyris inveniuntur et in fontibus iuris orientalis, Iustinianus etiam ius et consuetudinem gentis cuiusdam orientalis ad ius manumittendi romanum transtulisse putabatur, etsi imperator ipse normas speciales aetatis classicae postea ab aliis aut ab ipso demum in normam generalem commutatas afferret, quas se secutum esse professus est. Nunc quoniam ex Gaii novo fragmento apparet iam in vetusto societatis iure communem servum ab uno socio iusta manumissione liberari potuisse, ea quoque, quae Iustinianus de fundamento constitutionis suae in ipso iure romano posito affirmavit, vera esse demonstratur. Sequitur igitur, ut iam ipsi iuris prudentes Romani hac in re dissenserint, quam controversiam imperator favori libertatis ut solet indulgens constitutione sua terminavit.

Fragmentum cuiusdam codicis libri XLI Basilicorum

V. Capocci

Pont. Inst. Utriusque Iuris, Roma

Agitur de duobus foliis membranis quae, custodiae loco, exstant in cod. Vat. gr. 1656. Folia haec, saec. XI exarata, exhibent libri XLI tit. IV Basilicorum textum, sine scholiis. Praemissis animadversionibus nonnullis de traditione, ut dicunt, librorum Basilicorum, eduntur variantes lectiones.

Nonnullae animadversiones legibus Constantini illatae

E. Albertario

Pont. Institutum Utriusque Iuris, R. Università, Roma

Relator loquitur de nonnullis constitutionibus e quibus eruitur legislationem Constantini imperatoris longe abire a traditione romano-classica, legislationemque iustinianam praecedere, tum quoad summam divisionem rerum in commercio, tum quoad verba quae possessionem indicant, tum quoad curam minorum tum quoad testamenti formas.

Interpolationes in legibus Iustiniani peractae cum in Codicem a. 534 receptae sunt

F. Schulz

Universität, Berlin

Compilatores anno 534, cum Codicem repetitae praelectionis confecerunt, leges Iustiniani post annum 529 promulgatas multotiens mutaverunt et interpolaverunt. Methodum a compilatoribus observatam illustrabo in const. 53 de episcopis et clericis 1, 3 iuncta cum const. 1 de raptu virginum 9, 13; et in const. 49 de episcopis et clericis 1, 3 iuncta cum const. 37 de inofficioso testamento 3, 28. Quas constitutiones quomodo compilatores meo iudicio anno 534 mutaverint, ex testibus, qui sequuntur, cognosci potest et latius ego viva voce exponam.

C. (1, 3) 53.

C. (9, 13) 1.

Raptores virginum vel viduarum vel diaconissarum¹, quae deo fuerint dedicatae, pessima crimina peccantes capitis supplicio plectendos [fuisse]² decernimus, quod non solum ad iniuriam hominum sed ad ipsius omnipotentis dei irreverentiam committitur.

Raptores virginum [honestarum vel ingenuarum sive iam desponsatae fuerint sive non]¹, vel [quarumlibet] viduarum [feminarum, licet libertinae vel servae alienae sint]¹, pessima criminum peccantes capitis supplicio plectendos decernimus [et maxime si¹ deo fuerint virgines vel viduae dedicatae, quod non solum ad iniuriam hominum, sed ad ipsius omnipotentis dei irreverentiam committitur [maxime cum virginitas et castitas corrupta restitui non potest; et merito mortis damnantur supplicio, cum nec ab homicidii crimine huiusmodi raptores sint vacui]¹.

§ 1 Qui itaque huiusmodi crimen commiserint et qui eis auxilium tem-

§ 1. [Ne igitur sine vindicta talis crescat insania, sancimus per hanc

¹ Inserta a. 534.

² Del. ut videtur.

pore invasionis praebuerint, ubi inventi fuerint in ipsa rapina et adhuc flagrante crimine comprehensi a parentibus sanctimonialium virginum vel viduarum [vel diaconissarum]¹ aut earum consanguineis vel tutoribus seu curatoribus convicti interficiantur.

*generalem constitutionem, ut hi*¹ qui huiusmodi crimen commiserint et qui eis auxilium tempore invasionis praebuerint, ubi inventi fuerint in ipsa rapina et adhuc flagrante crimine comprehensi a parentibus virginum vel viduarum [vel ingenuarum vel quarumlibet feminarum]¹ aut earum consanguineis aut tutoribus vel curatoribus [vel patronis vel dominis]¹ convicti interficiantur.

§ 1-a. Quae multo magis contra eos obtinere sancimus, qui nuptas mulieres ausi sunt rapere, quia rel.

§ 1-b. Quibus connumeravimus etiam eum, qui saltem sponsam suam per vim rapere ausus fuerit.

§ 2. Si autem post commissum tam detestabile crimen aut potentatu raptor se defendere aut fuga evadere potuerit, in hac quidem regia urbe tam vir excelsus praefectus praetorio³ quam vir gloriosissimus praefectus urbis, in provinciis autem tam vir eminentissimus praefectus praetorio⁴ per Illyricum, quam magistri militum per diversas nostri orbis regiones nec non viri spectabiles praefectus Aegypti et vicarii et proconsules et nihilo minus viri spectabiles duces et viri clarissimi rectores provinciarum nec non alii cuiuslibet ordinis iudices, qui in locis inventi fuerint, simile studium cum magna sol-

§ 1-c. Sin autem post commissum tam detestabile crimen aut potentatu raptor se defendere aut fuga evadere potuerit, in hac quidem regia urbe tam vir excelsus praefectus praetorio³ quam vir gloriosissimus praefectus urbis, in provinciis autem tam viri eminentissimi praefecti praetorio per Illyricum [et Africam]¹, quam magistri militum per diversas nostri orbis regiones nec non viri spectabiles praefectus Aegypti [vel comes Orientis]¹ et vicarii et proconsules et nihilo minus [omnes]⁵ viri spectabiles duces vel clarissimi rectores provinciarum nec non cuiuslibet ordinis iudices, qui in locis inventi

³ « Viri excelsi praefecti » libri manu scripti.

⁴ « Viri eminentissimi praefecti » libri mscr.

⁵ Insertum a. 534 ut videtur.

licitudine adhibeant, ut eos possint comprehendere et comprehensos in tali crimine post legitimas et iuri cognititas probationes sine fori praescriptione durissimis poenis adficiant et mortis condemnent supplicio.

fuerint, simile studium cum magna sollicitudine adhibeant, ut eos possint comprehendere et comprehensos in tali crimine post legitimas et iuri cognititas sine fori praescriptione durissimis poenis adficiant et mortis condemnent supplicio.

§ 1-d. Quibus et si appellare voluerint, nullam damus licentiam rel.

§ 3. Bona autem eorum, si hoc commissum fuerit vel in sanctimonialium virginem, quae in asceterio vel monasterio degit, sive eadem virgo diaconissa constituta sit sive non, eidem monasterio vel asceterio, ubi consecrata est, addicentur, ut ex his rebus et ipsa solacium habeat, dum vivit, sufficiens et omnes res sacrosanctum asceterium seu monasterium pleno habeat dominio.

§ 4. Sin autem diaconissa cuiuscumque ecclesiae sit, in nullo autem monasterio vel asceterio constituta est, sed per se degit, raptoris eius substantia ecclesiae, cuius diaconissa est, adsignetur, ut rel.

Inst. Just. 4, 18, 8.

Sin autem per vim raptus virginis vel viduae, vel sanctimonialis vel alia, fuerit perpetratus, tunc ei peccatores et ei qui opem flagitio dederunt, capite puniuntur secundum nostrae constitutionis definitionem.

C. (1, 3) 49.

C. (3, 28) 37, 1 1-f.

Cum lege Leonina viris reverentissimis episcopis et presbyteris et diaconis peculium habere quasi castrense concessum est, eo addito, ut in ipso testari possint, dubitabatur, si

[In his itaque omnibus sancimus, quia ad imitationem peculii castrensis quasi castrense peculium supervenit, omnibus (!)]¹ qui tale peculium possident, super ipsis tantum-

huiusmodi testamenta debent de inofficiosi querella expugnari, cum de omnibus personis quae huiusmodi pecunia meruerunt, eadem fuerat quaestio exorta.

§ 1. Sancimus itaque viris reverentissimis episcopis et presbyteris et diaconis, qui tale peculium (id est quasi castrense) possident, super his tantummodo rebus, quae quasi castrensis peculii sunt, non solum ultima condere (secundum leges tamen) elogia licere, (quod ex Leonina constitutione descendit) sed etiam eorum ultimas voluntates, super his tantummodo habitas, de inofficiosi querellae minime subiacere.

Inst. Just. 2, 11, 6.

Sciendum tamen est, quod ad exemplum castrensis peculii tam anteriores leges quam principales constitutiones quibusdam quasi castrensia dederunt pecunia, quorum quibusdam permissum erat etiam in potestate degentibus testari, quod nostra constitutio latius extendens permisit omnibus in his tantummodo peculii testari quidem, sed iure communi.

Inst. 2, 13, 6.

Sed si expeditione occupatus miles testamentum faciat et liberos suos iam natos vel postumos nominatim non exheredaverit, sed silentio praeterierit non ignorans an habeat liberos, silentium eius pro exheredatione nominatim facta valere constitutionibus principum cautum est.

⁶ Inserta a. 534, sed pro parte verbis principii const. 49.

modo rebus, quae quasi castrensis peculii sunt, ultima condere (secundum leges tamen) posse elogia: [*hoc nihilo minus addito privilegio ut neque eorum testamento de inofficiosi querella expugnentur*]⁶

*Quid momenti habuerit
christianismus ad ius romanum matrimoniale evolvendum*

H. Insadowski

Universitas Catholica, Lublin

Christianismus plurimum contulit, ut ius romanum privatum normis fidei ac ethicae christianae paulatim conformaretur. Quae vis christianismi usque ad a. 325 non nisi indirecte ac spontanee, postea vero directe ac scienter, per potestatem legislativam manifestatur; ita ut Iustiniano Imperatore ius romanum spiritu christiano plene perfecteque regeretur.

Religio christiana semper specialem curam impendebat familiae, quo factum est, ut magnam vim habuerit in ius matrimoniale formandum. Nemo quidem infitiabitur, non omnes mutationes, quas ius romanum matrimoniale subiit, christianismo deberi. Aliae enim ipsius iuris evolutionem secutae sunt, aliae ortum suum debent conditionibus socialibus vel oeconomicis tempore monarchiae absolutae mutatis, aliae tamen sunt, quae absque dubio doctrinae christianae iam longe lateque propagatae innituntur. Vix ac ne vix quidem credi potest, ius saeculare sub imperatoribus christianis sese evolvisse independenter a doctrinis philosophicis ac religiosis, quae tunc temporis increbuerant.

Mutationibus autem in iure matrimoniali, quae evidentem christianismo debentur, adnumerandae sunt praesertim quae sequuntur: 1° immutatio naturae matrimonii et abolitio poenarum, quae in coelibes et liberis orbos statutae erant; 2° christianismus concubinatum romanum certis quibusdam terminis circumscripsit, servorum vero unionibus characterem quendam veri matrimonii non denegavit; 3° quod ad conditiones attinet ad matrimonium requisitas, aliorum impedimentorum ambitum ampliavit, alia autem impedimenta statuit nova; 4° quoad effectus matrimonii, religio christiana temperatum quoddam ius aequale mariti ac uxoris agnovit, simulque iura liberorum erga parentes auxit, praesertim per legitimationem liberorum naturalium; 5° latissime demum patent mutationes introductae quoad dissolubilitatem matrimonii eiusque effectus: divortii modus impositus est, leges autem antiquae de secundis nuptiis emendatae sunt.

Ex quibus patet, vix ullam esse iuris matrimonialis provinciam, in qua christianismus signum suum non impresserit.

Christianismus et Ius Romanum

M. Roberti

Università Cattolica, Milano

In hoc volumine, quod scriptor reverentiae causa viris doctis Romae conventum agentibus offert, quanti momenti ac ponderis christiana religio atque lex ad iuris notionem evolvendam fuerit, disputatur. Ac primum, quomodo nunc se habeat quaestio, quomodo sit absolvenda, exponitur; oportet enim ante omnia ac maxime necessarium est aetatem anteconstantinianam a postconstantiniana distingui, nec non cum fontes iuris tum omnes christianos auctores graecos latinosque iam inde ab initio usque ad Iustinianum altius perspicere ac recognosci. His rationibus usus, scriptor deinde « De nudis pactis » disserit iuxta ius romanum et christianum, illud ostendens deberi Ecclesiae christianorum doctrinis quod promissio boni viri sit iuris obligatio. Tum « De conditione nascituri » iuxta ius romanum et christianum sermonem facit, atque exquirat quantum ratio et disciplina Christianorum de anima eiusque conformatione novae exsurgenti iuris formulae « nascitur pro iam nato habetur », quae post Constantinum praevaluit, faverit. In volumine continentur praeterea dissertationes professorum E. Bussi et E. Vismara, cuius copia in conventu romano viris doctis fiet.

|| *A consortio "ercto non cito",
ad classicam "societatem omnium bonorum",*

V. Arangio-Ruiz

Università Napoli, Universitas Aegyptiana, Cairo

Negat relator ullam duorum institutorum inter se convenientiam, recentiusque ab antiquiore recta via descendisse. Quamquam enim in Gaii Institutionum fragmentis nuper repertis consortium ercto non cito nomen usurpatur societatis, nihil commune ista societas habere videtur cum ea, quae consensu contrahitur; ita ut nomine societatis nulla alia ratione iurisconsultum usum esse suspicari liceat, quam ut aliqua via inveniretur ad veterum mores commemorandos. Ceterum, cum evidenter inter contractus consortium

numerari non possit (quippe quod vel ipso iure vel per in iure cessionem coitur) tum ex libri III¹ § 148 satis apparet societatem omnium bonorum nihil aliud Gaio visam esse nisi speciem quandam eius societatis, quae consensu consistit.

Constat praeterea iuris gentium contractus originem duxisse ex negotiis quae inter diversarum civitatum homines gererentur; unde colligitur societatem alicuius negotiationis unum genus fuisse, quod apud Graecos (ut papyri confirmant) consuetudine probatum III saeculo a. Chr. n. Romae apud praetorem, qui inter cives et peregrinos ius dicebat, indeque apud praetorem urbanum receptum sit. Quo facto prudentibus visum est societatem quoque omnium bonorum, quod supererat vestigium illius antiqui consortii, remota in iure cessione ceterisque veteris iuris condicionibus, consensu contrahendam et cum societatibus negotiatorum coniungendam esse. Quod mirabiliter cum ceterorum contractuum, qui ad ius gentium pertinent, inprimis locationis conditionis historia congruit.

De originibus matricularum ecclesiasticarum

E. Weiss

Deutsche Universität, Prag

Matriculae sunt nunc regesta de statu personarum et qua talia sunt documenta publica, quae circa individuorum nativitatem, baptismum, matrimonium et mortem referunt. Nostrae matriculae ecclesiasticae antiquis nituntur fundamentis. Iam penes Graecos index invenitur membrorum, quae ad civium partitionem pertinebant i. e. « Phratrien et Phylen ». Postremi i. e. Phylen associationes constituunt iuris publici. Huiusmodi indices reperiuntur non tantum Athenis, sed etiam in insula Kos, ubi Hippocratis, celebris medici, datum nativitatis pluribus saeculis post eius mortem determinari potuit; praeterea reperiuntur in Elis. In ipsis tamen filii tantum referuntur, et quidem etiam filii adoptivi, non vero illegitimi etsi ex matre orti, quae civitatis iure gaudebat; referebantur praeterea casus mortis.

Hellenum tempore consecutio iuris civitatis non per peculiarem introductionem in *demos* quae ex prioribus temporibus adhuc, exstabat, sed per insertionem obtinebatur in indice, qui Alexandria vocabatur *Πεπολιτογραφημένοι*; eo tempore etiam matrimonia inita in regestis referuntur; ita Ephesi ad testimonium habendum in scriptis de matrimonio contracto taxa

est solvenda. Ptolemaide in Aegypto sacerdotes — Ἱεροθῦται qui testimonium divortii recipiunt, illud in archivo debent asservare.

Hucusque nondum sufficiens ratio est habita facti, quod in romano imperio praescriptiones aderant magni momenti, quae huiusmodi Graecorum normis respondebant. Romanorum infantes — et quidem non pueri tantum sed etiam puellae — referuntur in albo professionum, quod est penes Auctoritatem provinciae. Insertiones fiunt in duobus exemplaribus, quae normis iuris romani quoad sigillum et confectionem in linteo pro documentis respondent. Animadvertendum est autem — quod ad haec usque tempora erat ignotum — ex tempore legum Aeliae Sentiae et Papiae Poppaeae, ergo inde ab initio Imperii illegitimos filios mulieris romanae in albo non referri. Si mater civitatis ius, quod tunc temporis maximi erat momenti, pro filio consequi volebat, testationem exhibere debebat i. e. formalem declarationem coram septem testibus et tutore mulieris se filium peperisse. — Insertioni in albo praecedere debebat investigatio a provinciae praefecto peragenda circa originem prolis ex matrimonio et eis ius civitatem consequendi. Nulla tamen exsistebat obligatio denuntiationis ad insertionem in albo, quod etiam tabularium vocabatur. Etiam professio, sicut praesens matricula, etsi argumentum magni momenti constitueret, ius tamen non fundabat, i. e. qui civis non erat romanus per insertionem talis non fiebat. Imperator tantum Marcus Aurelius (160-180) tum pro Urbe tum pro provinciis universalem indicem natorum praescripsit. Iuxta nostros fontes hoc factum est ratione habita causarum liberalium quin tamen etiam in posterum insertio unicum demonstrationis argumentum constituisset (Modestinus D. XXVII, 1, 2, 1). Nati inserebantur, nullo facto discrimine inter legitimos et illegitimos.

Rebus sic se habentibus intelligitur quomodo in Ecclesia mos invaluerit baptizatorum libros habendi ex quibus posset conici quis ad ipsam pertineret. In antiqua Ecclesia inveniuntur documenta praenuntia etiam nostrorum librorum matrimoniorum, cum ex praescripto Iustiniani (Novella 74, contractus matrimoniales) documentum contracti matrimonii in archivo ecclesiastico esset asservandum; si documentum non fuisset redactum, coram defensore proximae ecclesiae et pluribus testibus fieri debet protestatio a praesentibus subsignanda (Cap. IV, 1, 2). Quae pariter in archivo ecclesiastico est asservanda.

Pro libris mortuorum in antiqua Ecclesia habentur quae vocabantur « Diptycha et Necrologiae ».

Ex praxi antiquae Ecclesiae ad matriculas ecclesiasticas nostri temporis pervenitur per matriculas paroeciales medii aevi imprimis in civitatibus Italiae. Normae de matriculis paroecialibus, sicut hodie in Ecclesia vigent,

pro universa Ecclesia a Concilio tantum Tridentino (Sess. 24, Cap. 2, 1, de reformatione matrimonii) sunt statutae, et tantum Rituale Romanum anni 1614 parochis munus imposuit defunctorum libros habendi, quin de ipsis accuratiores normas statuerit.

Regula Sancti Benedicti

O. Gradenwitz

Universität, Berlin

Relator de auctoribus semetipsos interpolantibus disserit, methodo analytica, forma dialogi adhibitae. Exemplis utitur cum Iustiniano imperatore suas ipsius leges dum novo codici inserit adulterante tum Sancto Benedicto Regulae monasteriorum quaedam vel per usum vel per casum oblata adiungente.

Vis Doctrinae Christianae in Iure Romano evolvendo

F. Medina de la Torre

Universidad, Guadalajara

- I. — Exordium.
- II. — Conspectus generalis in Ius Romanum.
- III. — Origo Iuris Romani, eiusque indoles restricta et excludens.
- IV. — Tredecim saecula Iuris Romani.
- V. — Omnium populorum cultura, in Iuris Romani evolutionem, progressum et perfectionem cooperavit.
- VI. — Ius Romanum, Ius Universale.
- VII. — Conspectus syntheticus progressivus legum: reges republica et imperium usque ad Augustum.
- VIII. — Vis christianismi in reformatione morum. Doctrina christiana praefulget in oriente tamquam novae aetatis aurora. Roma, rerum exterarum imitatrix.
- IX. — Personalitas vere christiana Romae primum apparet et evolvitur, postea vero in provinciis.
- X. — Reformationem morum, legum reformatio et perfectio prosequitur.

XI. — *Influxus christianismi in populorum gubernia sive in metropolitana sive in provincialia.*

XII. — *Exemplum a Roma propositum, extra imperium diffunditur. Christianismus populis robur praestat.*

XIII. — *Imperium Romanum veritatem christianam amplectitur et Ecclesia Catholica ab antiquo iure romano sumit ea tantum quae suam missionem iuvant. Iuris romani transformatio.*

XIV. — *Conspectus syntheticus comparativus legislationis ab Augusto usque ad Iustinianum, sub doctrinae christianae influxu.*

XV. — *Epilogus.*

De Aemilio Papiniano J. C. An et quousque christiana religio in progressum Romanae iurisprudentiae influxerit ante medium saec. III p. Chr. n.

A. Toso

Moderator ephemeridis Ius Pontificium, Roma

1. — *De natura et limitibus propositae quaestionis. De ratione et causis progressus, seu evolutionis, cuiusque iuris in genere, ac praesertim iuris Romanorum ante medium saec. III.*

2. — *Quo tempore iuris romani evolutio ad fastigium pervenerit. De Aem. Papiniano eiusque schola. De notis peculiaribus scholae Papinianae.*

2. — *Quo tempore iuris romani evolutio ad fastigium pervenerit. De philosophia veterum iurisconsultorum.*

4. — *An merito negari possit, religionem christianam ad hanc philosophandi rationem saec. II et III aliquid contulisse. Quo tramite christianae religionis conceptus ad veterum iurisconsultorum conscientiam pervenire potuerint.*

5. — *Quaenam propositae quaestionis enodatio aequa ac probabilis sit habenda.*

Iustinianus I et vita monachica

T. Schäfer

Pont. Accademia dei Nobili Ecclesiastici, Roma

Iustinianus I rerum profanarum peritus, in theologia quoque versatissimus, eximiam sapientiam probavit in rebus iuridicis. Ad vitam monachicam quod attinet, hoc demonstratur:

I. — *Ex iurisprudentia sua dogmatica:*

a) *circa Monophysitas et Theopaschitas,*

b) *circa quaestionem « Trium Capitulorum »,*

c) *circa errores Origenis.*

II. — *Ex iurisprudentia sua disciplinari, quam producit:*

a) *altissima sua erga vitam monachicam aestimatio,*

b) *practicae suae ordinationes respectivae.*

Conclusio.

Professio monastica, impedimentum matrimoniale et causa divortii in Iure Iustiniani

A. Tabera

Colegio Misioneros, Zafra

1. — *Iustinianus primus fuit qui professionem monasticam inter impedimenta nuptiarum recensuit; attamen adeo pauca de hac re tradunt leges iustinianae, ut vix natura huiusmodi impedimenti ex fontibus nostris dignoscere possimus; sed ex analogiis et deductionibus fortassis affirmari liceat impedimentum esse tantummodo prohibitivum, non dirimens.*

22. — *Professio monastica insuper, in fontibus iustinianis admittitur ut causa legitimi divortii, nempe: a) professio monastica matrimonium dissolvit ipso facto; b) sed non raro in fontibus etiam consideratur ut iusta causa ad divortium « bona gratia » instituendum, et quidem per repudium; c) quae sunt haec ratione concordanda: professio monastica est iusta causa ad divor-*

tium « bona gratia » instituendum et quidem per repudium, statim ac coniux a coniugio recedit et in monasterium ingreditur; si vero durante novitiatus seu probationis tempore repudium non intercesserit, matrimonium cessat susceptione habitus seu schematis monachalis.

Translatio proprietatis et solutio pretii acquisitionis

G. von Beseler

Universität, Kiel

Iustinianus Imperator Augustus inclutae memoriae, cum Codicis Theodosiani constitutionem (1.2)8 in suum Codicem reciperet, ita eam reformavit, ut satisfactio idem valeret quod satisfactio, eadem ratione usus est in Institutionum suarum (2.1)41, quo in loco enuntiata hac regula « venditae res et traditae non aliter emptori acquiruntur, quam si is venditori pretium solverit vel alio modo ei satisfecerit » haec verba adiecit « veluti expromissore aut pignore dato ». Regula illa vi quidem ipsa Graeca est et a iure Romano prorsus aliena, verbis tamen similis est alterius regulae eiusque Romanae, quae regula ab antiquis ita fere concipi solebat « venditor non aliter auctoritatis nomine obligatur emptori, quam si is venditori pretium solverit vel alio modo ei satisfecerit », idem aliis verbis dixit Ulpianus in Dig. (19. 1) 11 § 2 in libro 32 ad edictum, quo loco recte restituito recteque intellecto aliisque quibusdam locis adhibitis quae exposui comprobantur.

*Praesupposita canonicae rationis dicendi
« communitas legis recipiendae capacae »*

G. Cornaggia Medici

R. Università, Milano

I. — Requisita consuetudinis canonicae et doctorum controversia circa communitates legis recipiendae capaces. Insufficientes recentiorum doctorum investigationes. Necessitas quaestionis originem aggrediendi. Momentum huius studii in duplici centenaria fontium iuris canonici et romani commemoratione.

II. — Examen et iudicium criticum de recentiorum doctorum solutionibus.

III. — Controversiae praesupposita apud Iustinianum. Glossa: Ioannes Teutonicus. Momentum reformationis a S. Raymundo inductae. Apparens oppositio inter hanc solutionem, et solutionem Codicis Iuris Canonici, quae idem requisitum iustinianum renovat.

IV. — Relatio inter Codicem et Decretales. Hodierna vis formulae in Codice adhibitae, eadem adhuc est, si recte intellegatur, ac Iustiniani glossatorumque solutio.

Veteres et Iustiniani

G. Bortolucci

Università, Bologna

Questio delibatur de Iustiniani propenso in antiquitatem studio. Ratione et disciplina novissimi in comparisonem veteris iuris delineata, disputatur de consensu in contractibus nec non de ἀνωμότοις συναλλάγματα ἢ apud veteres iuris auctores.

Ius Iustinianum

qua ratione conservatum sit in iure ecclesiastico orientali recenti

Ae. Herman

Pont. Institutum Studiorum Orientalium, Roma

I. — Receptio legum Iustiniani in collectione iuris ecclesiastici. Momentum Nomocanonis XIV titulorum. Immutationes factae ob publicationes Basilicorum. Diversitas evolutionis in Oriente et in Occidente eiusque rationes. Abrogatio legum Iustiniani sive novis legibus facta sive consuetudine introducta. Hodie quoque ius Iustinianum inter fontes iuris ecclesiastici orientalis computatur, quamvis eius auctoritas legislatione recentiore restricta sit.

II. — Quae normae in specie ex iure Iustiniano in ius actu vigens transierint. Illustratur exemplis quaenam normae sine mutatione conservatae sint quaenam ulteriori evolutioni ansam dederint, quatenus principia et re-

gulam iuris in ius hodie vigens influxum exercuerint. Conservatio normarum iuris Iustiniani in specie quod attinet ad disciplinam cleri, ad ius matrimoniale, ad monachos.

Momentum quod iuri Iustiniano tribuendum est in efformatione iuris ecclesiastici orientalis actu vigentis.

Utrum Christiani Aegypti acceperint et secuti sint usque ad nostra tempora ius Iustinianum, an tantum Codicem Theodosianum nomine Codicis Syri-Romani?

F. Gozman

Pont. Commissio pro Codificatione Orientali, Alexandria

Praemissa historica expositione organizationis et legislationis Aegypti sub Imperatoribus Romanis, Romano-Byzantinis, Byzantinis usque ad dominationem arabicam (29 a. C.-641), haec asseruntur:

1) Aegypti, omnes Christiani sub Imperatoribus Byzantinis, et Christiani ex Aegypto a dominatione arabica ad nostra tempora secuti sunt et sequuntur ius Iustinianum, quod optime respondet suis moribus. Id elucet ex iuribus obiectivis, ex pluribus factis, ex papyris qui asservantur;

2) Receperunt etiam ius *coutumier* Syro-Romanum in iis in quibus cum iure Iustiniano concordat; cum vero ab eodem discordat, canonistae in Collectionibus corrigunt.

Quantus fuerit influxus iuris Romani Iustiniani in ius civile et canonicum Armenum

G. Amaduni

Pont. Commissio pro Codificatione Orientali, Roma

1. — Praenotiones brevissimae historicae atque geographicae de relationibus politicis Armeniae cum Republica Romana ab initio usque ad annum Christi 536.

2. — Reformationes Iustinianae in Armenia Occidentali administrativae atque iuris privati, praesertim familiae atque successionum.

Corpus Iuris Armenorum — Collectiones selectae a Codicibus Iuris Graeco-Romani.

Influxus Reformationum atque Collectionum in Ius privatum Nationale Armenum.

3. — Conclusio.

De religiosorum exemptione in iure Romano-byzantino

I. Croce

Pont. Commissio pro Codificatione Orientali, Roma

1. Quid sit exemptio in iure communi Ecclesiae occidentalis.

2. Exemptio in iure romano-byzantino.

3. Initium habuit e can. IV Concilii Chalcedonensi (oecum. IV) et e Novella CXXXI, quae, dum monasteria Ordinarii loci iurisdictioni omnino subiciebant, viam parabant ad exemptionem.

4. Patriarchae, ad removendos abusus auctoritatis, subtraxerunt aliqua monasteria a iurisdictione Ordinariorum, sibi que directe subiecerunt.

5. De signo huius subtractionis a potestate Ordinarii, id est de « stavropegio », seu crucis defictione.

6. De exarcha patriarchali pro monasteriorum exemptorum cura.

7. Canonistae byzantini rationem ferunt huius interventus Patriarcharum in dioecibus sui Patriarchatus. Patriarchae vero Constantinopolitano perperam tribuunt hoc ius in universo orbe.

8. Praeter monasteria patriarchalia, erant et imperialia et autonoma. Horum exempla eorumdemque cessionem in ditionem Patriarcharum.

9. Exemptio stavropegiaca ad quae extendatur, nempe ad territorium primum deinde vero et ad personas.

10. Relationes eximentem inter et exemptos.

11. Ex hucusque expositis patet quo ius occidentale et orientale conveniant et differant.

12. An Romanus Pontifex aliquando usus sit iure stavropegiaco. Affirmative respondetur: nempe in Monasterio Cryptoferratensi, de quo disseritur.

Leges Iustiniani de haereticis

G. Balan

Pont. Commissio pro Codificatione Orientali, Roma

Immerito arguunt imperatorem erga haereticos nimium fuisse severum. Spectata eorum indole et consideratis ipsorum facinoribus, ab imperatore tam piissimo vix aliae poterant exspectari leges.

I. — Enumerantur sectae hocce tempore in imperio existentes: Ariani, Manichaei, Monophysitae et Montanistae. Horum doctrina et gesta maxima afferebant damna tum ipsis asseclis, tum Ecclesiae Dei verae tum ipsi reipublicae.

II. — Ad medendum tot malis, Iustinianus primo persuasione haereticos ab errore avertere et in sinum Ecclesiae reducere conatus est. Re infecta, legibus impedivit exercitium eorum cultus et propagationem haereticorum. Hae leges sunt iustae et accomodatae.

Hodie non aestimatur, ut deceat, Iustinianus, qui de Ecclesia et imperio optime meritus est.

De codificatione canonica orientali

A. Coussa

P. Inst. Utriusque Iuris, P. Comm. pro Codificatione Orient., Roma

I. — Eiusdem occasio.

II. — Status legislationis canonicae orientalis tempore quo indicitur eiusdem Codificatio:

a) Canones antiqui

b) Collectiones

c) Acta Sedis Apostolicae

d) Synodi approbatae

e) Synodi non approbatae

f) Ius consuetudinarium aliique fontes peculiare.

g) Fontes non editi.

h) Ius suppletorium et subsidiarium.

i) Instituta peculiari mentione digna (Religiosi, matrimonium, poenae).

III. — Necessitas Codificationis eiusdemque beneficia.

IV. — Difficultates.

V. — Modus procedendi in codificando Codice Canonico Orientali.

VI. — Forma eiusdem Codicis.

VII. — Relatio ad Codificationem Iustinianeam.

Romana aequitas Imperatorum Christianorum

F. Pringsheim

Universität, Freiburg in Br.

Praemissa generali aequitatis notione et brevi declaratione classicae aequitatis, illustratur aequitas praeconstantinianarum constitutionum, quae non multum a classicis differt. Tempore Constantini incipit nova aetas; aequitas praevalet iuri; eadem ubique urget imperatoris interpretationem; prima vice Constantinus loquitur de aequitate legum et iustitia iuris; eius aequitas est christiana. Haec conceptio firmatur atque extenditur usque ad Iustinianum. In opere Iustiniani aequitas inservit ad invicem fundendas classicas et post-classicas notiones. Ipsa officium iudicis iam ingressa est; atque simul cum bona fide et bono et aequo unum constituit itemque magis christiana facta est. At classica elementa operis Iustiniani posteriore tempore iterum byzantinae aequitati praevaluerunt; denique classica aequitas prae byzantina obtinuit.

De idea libertatis in iustiniano iure

Orias F.

Institutum Iuridicum Archiepiscopale, Egut

1. — Thematis commendatio.

2. — Notio libertatis generatim.

3. — Notio libertatis in iust. iure.

a) Favor libertatis in variis institutis quomodo valeat, exponitur:

b) Obiectio a christianismo meritum promotae libertatis abiudicare conans refutatur.

c) Quid de religionis libertate — s. d. tolerantia — in iust. iure?

4. — Recapitulatio.

Notio "fas",

I. Senn

Université, Nancy

Nostrae aetatis doctrina circa *fas*: eius doctrinae defectus, utpote quae causam non declaret ob quam textus circa *fas* diversi sint inter se. Hi textus in duas classes sunt distinguendi, cum sint et diversi generis et diversae aetatis.

I. — Applicationes notionis *fas* aetate imperii: earum causae.

II. — Vetus notio *fas* in eius applicationibus: eius vetustas et momentum; constans traditio; *fas* ac *ius*.

Fides in iure privato Codicis Iustiniani

B. Hermesdorf

Universités Catholiques de Louvain et de Nimègue

Sicut Ulpiani celeberrima illa praecepta: *honeste vivere; alterum non laedere; suum cuique tribuere*; lapides sunt angulares Byzantini quoque Iuris, sic Fidem considerare nobis licet ut rationem aliquam inter illas rationes, quae non pristino tantum sed Romano quoque Iuris aetatis Byzantinae vere praefuerunt. Immo non immerito quis dixerit: Fidem tria illa Iuris praecepta comprehendere in unam, generaliore sane, rationem.

Ita fit ut Fides plures res significet. In Iure privato Codicis Iustiniani v. c. idem fere valet Fides quod Veritas (res, res vera). Fides vero ita accepta non est habenda ut mensura qua quis in Iure omnino uti possit, quippe quae in communi Iuris usu vix stricte possit circumscribi. Quod cum ita sit, Fides praeter sensum iam indicatum alios etiam sensus admittit, v. c. amorem veri; fraudis fastidium; vitae integritatem. Unde patet Fidei rationem magis minusve obnoxiam esse subiectivae quam dicimus interpretationi, quamvis sensim sine sensu norma facta sit et typus: scilicet « viri boni ».

Ipsa Fidei ratione ita statuta secure inde deducitur quid sit « bona fides ». Haec enim indicat: actionem aliquam humanam vel mentis habitum vel id quod ex alterutro aut ex utroque procedit Fidei praeceptis non repugnare.

Quantum momentum habuerit reformatio Iustiniana novationis (Cod. VIII. 31 [32] 8)

Ph. Meylan

Université, Lausanne

Iustinianorum hoc fuit in novatione recomponenda consilium, ut posteriore obligatione contracta tunc demum prior tolleretur, si actum id revera fuisset. Nam crediderant novationem in sola privatorum voluntate inde antiquitus esse positam, propter multifarias autem ac incertas praesumptiones veterum factam esse inviam. Cui opinioni Gai Institutiones quam obstent dilucide Salpius iam pridem demonstravit. At de antiquae novationis ratione aequalium nobis parum consonant voces. Eorum auctoritas praevalere videtur qui nullas putant in ea partes voluntatis. Existimant enim ideo eam fieri, quod ingenua quadam doctrina veteres negarent posse eandem rem amplius quam semel vel in iudicium vel in obligationem deduci. Incerti tamen incertiore lectorem dimittunt. Immo contra dixerim id spectasse veteris iuris conditores ut cuilibet liceret novam verborum obligationem in locum prioris substituere. In hoc autem iure constituendo duplicem legem eos servasse: primam quidem formarum solemnium sponsionibus impressarum, alteram vero ab ipsa sponsionis natura manantem. Multa enim sunt indicia, ex quibus coniectura duci possit sponsionem iam ante XII Tabulas exstitisse eoque tempore ius generavisse non in sponsorem sed in sponsore. Quorum indiciorum alia quidem acute dudum invenit Mitteis, alia praesertim ab ipsius novationis iure quis capiet. Primo: Novatio de eadem re tantum fieri potest, nimirum quia sponsor olim non ad dandum aliquid vel faciendum obstringebatur, sed se ipsum oppignorabat propter dationem factumve extra obligationem positum. Secundo: Quamobrem etiam duarum stipulationum posterior nihil novi praebens nullius est momenti, nam eo tempore, quo se oppignorabat, amplius quam semel sponsor intellegi non poterat. Tertio: Duos pluresve sponsores de eadem re verisimiliter nisi uno actu obligari iure antiquo non licuit; sponsoris igitur adiectione sive detractone inter novas personas fiebat novatio, immo fit inter easdem quantumvis personas doctrina sabiniana.

Quae principio optime fuissent constituta, eorum pertinaciter servatorum ratio cessasse videtur ubi primum verborum obligatio definiri coepit: « iuris vinculum, quo necessitate adstringimur alicuius solvendae rei secundum no-

strae civitatis iura ». At deficiente iure antiquo, propria ratione ius novum plurima supplere instituit. Primo: Priorem obligationem a posteriore tolli mutato licet debito posse simul et litis contestatio et stipulatio illa aquiliana demonstrant, quibus tamen novatio proprie non fit; item sine novatione prior obligatio a posteriore si actum hoc fuerit iure praetorio exceptionis ope exstinguetur. Secundo: « Bis idem promittendo amplius quam semel ipso iure non teneri », quamvis dicatur, tamen Papinianus iure communi putat saepius deberi posse (D. 44. 2. 14 § 2). Tertio: Adiecto sive detracto fideiussore non fit novatio, quia huius obligatio principali tantum accedere solet; qua ratione moti Proculiani existimaverunt nihil ad novationem proficere sponsoris adiectionem aut detractionem.

Ex praedictis apparet non tam apte profecisse privatis novationem temporibus illis, in quibus iurisprudencia florebat, quam antiquitus. Postea tamen, solemnitatibus relictis fusoque cum civili praetorio iure, ad novationem evetendam magna fuit propensio. Insinuavit se in animos, rebus ut quidem videri posset integris. Quibus causis obligatio quondam necessarie novabatur, eae, gliscente doctrina, in praesumptiones voluntatis conversae sunt. Inconsulte tamen antecessores prudentium de his causis dissentiones insecuti novationum ordinem turbaverunt. Veteris iuris, ut ait, ambiguitatibus finem statuit Iustinianus. At in notissima illa constantinopolitana constitutione multum a proposito id abesse videtur quod revera disponitur. Certe Iustinianorum hoc fuit consilium, ut ex voluntate tantum novatio procederet. At cum voluntatem expressam requirunt, ipsam voluntatem deserunt. Quam concipiunt novationem quantum distet ab antiqua non satis intellegunt. Digestorum fragmenta si legeris, novationem stipulatione tantum fieri credes; putabis etiam inter easdem personas nullam novationem effici posse si nihil novi sit in posteriore stipulatione; an prior obligatio posteriore tolli possit mutato debito nescies, item quaeres quid intersit, animo novandi expresso, tollatur prior obligatio an exceptionis ope exstinguatur; quin etiam incertus abibis utrum necesse sit necne animus novandi ut certis verbis significetur.

In summa asseritur novationem pro utilitate privatorum introductam esse; absque ulla familiaritate cum illo praecepto: « bis de eadem re ne sit actio » eam constituisse; quam antiqui aptissime condidissent, prudentes contra iuris rationem, ipsius obligationis condicione mutata, servasse, ceterum aliunde rimas explevisse; denique Iustinianum, quod incallide ac varie antecessores temptassent, institui in animo habuisse; et recte quidem Iustinianos ex voluntate tantum novationem depromendam sanxisse, in illo autem iure ordinando vires eis defuisse.

Evolutio responsabilitatis ob culpam in iure romano

J. Vázny

Universitas, Brno

Negotiorum gestio, tutela, societas.

Critica modernae doctrinae quae negat aetate classica, culpam fuisse consideratam in his iuridicis relationibus.

Idea doli non sufficit ad explicandam responsabilitatem in praefatis relationibus iuridicis. Nec iisdem potest ratio custodiae applicari.

Relatio inter mandatum et negotiorum gestionem in responsabilitate, iuxta mentem classicorum auctorum. Interpretatio cuiusdam textus Digesti.

Variae practicae condiciones auctoribus classicis suaserunt distinctionem inter dolum et culpam. Casus quidam communis negotiorum gestionis et tutelae.

Papinianus, Ulpianus-Julianus; rescripta imperatorum. Celsus. Formulae compilatorum.

Coactatio responsabilitatis ex culpa lata in textibus interpolatis.

Textus Codicis Iustiniani. Momentum interpolationis horum textuum. Aetas byzantina.

Quomodo usu forensi audientiae episcopalis suadente. nonnulla praecepta ad instar iuris graeci et hebraici etc. in iure romano recepta sint

F. Bossowski

Uniwersytet Stefana Batorego, Wilno

I. — De usu forensi in audientia episcopali ante Constantinum Magnum imperatorem ad religionem christianam conversum observato:

1. quae res in Oriente fuerint;
2. quae res in Occidente fuerint.

II. — De usu forensi audientiae episcopalis post Constantinum Magnum imperatorem ad religionem christianam conversum observato:

1. Constantinus Magnus imperator tollendae differentiae inter ius romanum et usum forensem audientiae episcoporum orientalium operam dat;
2. Ius romanum suadente usu forensi audientiae episcopalis charitati christianae accomodatur.
3. Leges a Iustiniano in nostra re latae.

*Vis romani atque canonici iuris in legibus barbarorum evolvendis
Langobardorum praesertim in Italiae regno*

C. Calisse

R. Università, Roma

Res, de qua dicturus sum, ob amplitudinem, quae longum plus aequo sermonem deposceret, singularem de suis capitibus hic non sinit tractationem; eo magis quod pro certo est habendum viris doctissimis hic congregatis argumentum non esse ignotum.

Praevie, igitur, constituto leges barbarorum, Langobardorum praesertim in regno Italiae, in melius fuisse proventus iuris romani virtute atque canonici; hic peculiariter declaratur quam via facile strata munitoque ingressu canones ius romanum in eas deduxerint, donec pro lege generali constitutum hoc fuerit et communiter adhibitum.

Communicatio haec duas complectitur partes; quarum una multiplices facti causas colligit et explanat; altera vero quanti momenti hoc factum fuerit a legibus ipsis depromptis demonstrat exemplis.

*Vestigia iuris Romani in novo Testamento
praesertim in epistulis Paulinis et in versione vulgata*

I. Cavigioli

Seminario Maggiore, Novara

Nemo qui in historia iuris romani non sit plane hospes ignorat, prolato romanorum imperio nedum in Orientis plagas, quarum ora mare mediterraneum alluit, sed et ad Tigrim et ad fines Aegypti, ius quiritorium cum forma mentis hellenistica, quae regiones illas imbuerat et a latina prorsus diversa erat, confictatum fuisse. Cuius certaminis indicia rimantibus Pandectas abunde prostant. Attamen civile ius octavo ab Urbe condita saeculo, primo

nempe aevi vulgaris, licet nondum perpolitum tum senatus consultis in rebus maximi momenti, tum in universa sua facie a iurisconsultorum scholis Orienti utique innotuit. Unde serius contigit ut tertio post Christum natum saeculo ex Oriente Romam advenientes iurisconsulti romanos ipsos edocerent: Ulpianus siquidem Tyrius, Papinianus ab urbe Emesa, berytenses magistri magnam sibi laudem compararunt.

I. — Iuris privati romanorum Paulus Apostolus notitiam sane luculentam habuit. Quamvis enim hebraice fuerit institutus, civis romani dignitatem origine assecutus, profecto sibi temperare non potuit quin Urbis instituta pro sua ingenii acie scrutaretur dum in itineribus suis paullatim

Italiam fato profugus Lavinaque venit

Littora...

Plura hac de re documenta haurimus; v. c.

a) iura de *successione legitima* (Hebr. VIII) de efficacia testamenti (Hebr. IX) et, probabiliter, de tutela testamentaria (Gal. IV);

b) *adoptionem* exhibitam tanquam imaginem insertionis nostrae in Christo Dei filio (Rom. VIII; Gal. IV; Eph. I; cfr. Rom. XI, 17), et titulum iuris nostri hereditarii;

c) *ius civitatis*, quo adumbratur vocatio ad fidem (Phil. III; Hebr. XI, XIII; II Cor. V);

d) novationem subiectivam in forma *expromissionis* (Philem.);

e) stipulationes literales, *chirographum* nempe (Col. II) et *codicem accepti et expensi* (Phil. IV);

f) *sponsionem* fideiussionis apto verbo indicatam (Hebr. VII);

g) *servi fugitivi* remissionem domino, more romano (Philem. 13) cui contradicit Deuter. XXIII, 16.

II. — Vulgatus interpres certe ius romanum callebat; quin etiam lineamenta dogmatis luce verborum iuris perfudit ubi per *acceptilationem* Dei misericordiam in nos affabre latino sermone reddidit (Rom. IV).

Sed et alia recensemus consideratione digna: v. c.

1) *institutionem heredis* (Hebr. XI);

2) *conversationem*, quasi iusi municipii, eodem scilicet termino quo Ulpianus usus est (Phil. III; Eph. II);

3) *addictionem* sensu iuris poenalis rite assumptam (Iac. V);

4) *possessionem a dominio* perspicue, ex romanorum placitis, distinctam (II Cor.);

5) *sponsionem*, scil. verborum obligationem (Luc. XXII, 6);

6) *conventiones*, (Mt. XXII; Act. V);

7) *citationem iudicalem* (Act. XXIV);

- 8) *repromissionem* romano more ultro citroque obligantem (Hebr. VI);
9) *pollicitationem* Dei benevolentia sua praevenientis (ib.).

Unde concludere licet nedum Scripturas sed et aetatis apostolicae aut supparis auctores christianos utiliter excoli posse, si eorum monumenta ad trutinam iuris romani expendantur.

Ius romanum in primis Ecclesiae conciliis

F. Lardone

Catholic University, Washington

Cultoribus iuris romani notum est quod Concilia numerantur inter fontes extraiuridicos iuris romani. Generatim in Conciliis principalibus invenimus: *acta et canones*. Sed multa Concilia praesertim antiquiora carent istis elementis, et harum synodorum notitiam a scriptoribus ecclesiasticis tantum habemus. Hic notandum est quod Concilia antiquiora Concilio Eliberitano huic categoriae pertinent.

Thema huius operis est de his antiquioribus Conciliis tantum pertractare.

Concilia posteriora Synodo Apostolorum (a. 51 ca.) et Concilio Eliberitano (a. 306 ca.) anteriora, enumeravi triginta tria. Ista synodi particulares, in variis ditionis christianae regionibus habitae sunt, praesertim in Oriente et Africa.

Argumenta harum synodorum sunt quaestiones de lapsis, de reiteratione baptismi, de tempore paschatis, et de haereticis.

Momentum iuridico-romanum harum synodorum est, quod paene omnia argumenta istorum Conciliorum, non tantum ad dogma vel disciplinam Ecclesiae pertinent, sed sub ditione iuris romani etiam cadunt, eo quod incorporata sint in codificationibus Imperatorum praesertim in Codicibus Theodosiano et Iustiniano.

Sic patet quod Concilia primitivae Ecclesiae influxum habuerunt in formationem fontium iuris romani.

De fonte quodam ecclesiastico ad processum Romanum pertinente

A. Steinwenter

Universität, Graz

Anno p. Chr. n. 411 Carthagine iussu Imperatoris Honorii Collatio habita est inter episcopos Ecclesiae catholicae Africanae et episcopos partis Donatistae. Magna pars gestorum huius Collationis ad nos pervenit (Mansi, Ampl. Coll. IV, 51 ss.) nobisque reddit multa et magni momenti indicia — adhuc paene ignota — ad indagationem processus civilis Romani V saec. Mirum forte videtur, disputationem theologicam simul fontem esse iuris saecularis. Quae res ita evenit: Collationi enim praefectus erat ab Imperatore homo iuris peritus, Fl. Marcellinus, v. cl. tribunus et notarius. Hic, in cognoscenda causa inter Catholicos et Donatistas, in primis Rescriptum Imperatoris, quo Collationem ordinavit, et morem forensem secutus est. Praeterea ipse Cognitor necnon episcopi partis Donatistae praecepta constitutionum imperialium, quae ad processum cum denuntiatione introductum (Cod. Theod. 114) attinent, observabant. Quare ex gestis Collationis Carthaginiensis explorari possunt nonnullae controversiae doctrinae processualis. Ut exemplis utar, docemur ex his de iepsa denuntiatione litis, de processu contumaciali de praescriptionibus, de litis contestatione et ceteris aliis. Praeterea gesta Collationis nobis eximiam praebent speciem artis causam dicendi, quae adhibebatur saec. V in foro civili.

*Recensio iuris romani in collectiones iuris canonici
saec. IX-XI in Italia et extra Italiam*

G. Mor

Università, Cagliari

Antiquissima exstant exempla collectionum canonum quibus et iuris romani fragmenta inseruntur, ut puta *νομολόγοι* apud Graecos, et in Italia collectio, ut dicitur, Avellana.

Sed saeculo VI evoluto, corpora canonum quae colliguntur, quaeque provincialia seu particularia optime denuo vocari propositum est, omnino tum theodosianae cum iustinianae lege carent, temporibus scilicet collecta quibus neque apud Italos neque apud occidentis barbaras gentes integrum ius vetus

asservabatur, ut ex epitomis theodosiani codicis et iustinianorum librorum satis compertum est.

Sed cum aliquantulum scientia renovatur, nono videlicet saeculo, italicus clerus rursus romanam legem, sicut ad canonicam, reversus, operas collegit, nonnullas, ut, verbi gratia, *Lex romana canonice compta* et *Excerpta bo-biensi*, in Langobardia, *Lex iustiniana*, Neapolis, quae omnes nihil aliud quam collectionem fragmentorum iuris romani in usum cleri significant. Quae nondum in canonicas collectiones irrepsisse videntur, nisi eodem saeculo exeunte, in illa langobardica archiepiscopo mediolanensi Anselmo dedicata, et, Neapolis, in ipsa, quae asservatur in cod. vall. T. XVIII, ex quo Vaticana collectio V libris digesta fluxit a. 920 circiter.

Quarum fortuna, praesertim illius Anselmo dedicatae, tam latius processit, ut plurima excerpta ex ipsis fluxisse iam demonstratum sit, in quibus et fragmenta iuris romani, quasi canones et decretales pontificiae, colliguntur.

Sed non ita transalpinae collectiones se gerunt, nisi forsitan excipias eas quae in Provincia ortae esse noscuntur, ut massiliensem illam codicis cuiusdam nunc parisini, cui theodosianum ius non incognitum fuisse satis apparet. Nam et libri Reginonis et Decretum Burchandi episcopi Wormatiensis nihil a romanis legibus hausisse videntur, et, e contra, quae paucissima a iure romano desumpta apparent, falsa inscriptione adhibita, ut cuiusdam concilii canon seu pontificia decretalis prodita sunt. Cuius exemplo, Burchardi scilicet Decreti, atque apud nos romanum ius a collectionibus canonum deiectum est, saeculo XI, donec maxima oriretur contentio de reformanda ecclesia.

Nam tempore Graegorii VII, rursus paulatimque scriptores rerum ecclesiasticarum, ut puta Atto cardinalis, Anselmus Lucensis, Bonizo Sutrinus, ad ius romanum reverterunt, ex quibus Yvo, episcopus carnutensis, post moram quam a. 1093-1095 Romae fecit, ius romanum, quasi lex canonica, in Galliam Germaniamque induxit. Nec solus ipse, sed fragmenta quaedam — et igitur iustinianeum ius — apud Hispanos, Catalanos scilicet et Aragonenses, nec non in provincias Galliae quas Provinciam et Linguadocam dicunt, — quidam introduxit ex Italia, quae in collectionibus iuris civilis, quas *Librum Tubingensem* et *Ashburnhamianum* vocant, asservantur, et e quibus ibidem *Exceptiones Legum Romanarum* fluxerunt, ut amplius et perspicue alibi disceptaturum esse confido: cuius enim capitula in collectione *Caesaraugustana* reperiuntur.

*De rebus in Polonia gestis, quae ad ius decimale
Decretalium Gregorii IX conferre potuerunt*

M. Wyszynski

Uniwersytet Iana Kazimierza, Lwów

Agitur de c. 32 X de decimis III, 30: « In aliquibus regionibus, quaedam permixtae sunt gentes, quae secundum suos ritus decimas de more non solvunt, quamvis censeantur nomine Christiano. His nonnulli domini praediorum ea tribuunt excolenda, ut decimis defraudantes ecclesias, maiores inde redditum assequantur. Volentes igitur super his ecclesiarum indemnitatibus providere, statuimus, ut ipsi domini, talibus personis et taliter sua praedia excolenda committant, quod absque contradictione ecclesiis decimas cum integritate persolvant et ad id, si necesse fuerit, per censuram ecclesiasticam compellantur. Illae quippe decimae necessario solvendae sunt, quae debentur ex lege divina vel loci consuetudine approbata ».

Ipse legislator inscripsit, istud caput (= c. 5, h. t. Comp. IV) ex generali concilio Later. IV (1215) depromptum fuisse; reapse ex istius concilii canone 53 de verbo ad verbum transcriptum esse, videri potest apud Mansi, Sacrorum conciliorum nova et amplissima collectio XXII, Venetiis 1778, 1042; Hefele-Leclercq, Histoire des conciles V, 2, Paris 1913, 1375. Et de his omnibus numquam dubitatum fuit. Aperta tamen diu erat ulterior quaestio: undenam ipsa res ad concilium pervenerit, aliis verbis, qualem originem praefatus concilii canon habuerit. Quam quaestionem modernis temporibus attingentes Hefele (Conciliengeschichte V² 1886, 896) et Leclercq (Hefele-Leclercq Histoire des conciles V, 2, 1913, 1375) eo pervenerunt, ut estimarent, originem canonis 53 praecipue cum non solventibus decimas Graecis iungendam esse.

In diversam vero sententiam discesserunt Polonorum canonistae et historici: Gromnięki (Synody prowincjonalne, Kraków 1885, 890), Abraham (O powstaniu dziesiecziny swwobodnej, Biblioteka Warszawska 1891, T. IV, 171), Uminski (Henryk arcybiskup gnieznienzski zwany Kietliczem, Lublin 1926, 150) et Wyszynski (Ze studyów nad historja, dziesiecziny w Polsce sredniowiecznej I, Lwów 1929, 44sq.) tenentes canonem 53 referendum esse ad res in Polonia eodem tempore gestas. Et quidem tali modo:

Postquam ineunte saeculo XIII in Polonia praedialis decima manipularis facta est consuetudinaria et ad eam solvendam fere omnes aratores,

cuiuscumque conditionis, adstricti fuerunt, inceperunt praediorum domini (praecipue Henricus, Silesiae dux) de novo introductis Teutonicis locare deserta et, ut maiorem censum de his terris reciperent, eos a solutione decimarum liberare. Ad istud factum accessit aliud: quod praedicti Teutonici, si ad decimam obligati essent, non solvissent iure terrae consueto, idest more Polonico in manipulis, sed iuxta consuetudinem gentis suae, idest quandam numerum mensurarum, longe minorem recto numero decimarum. Quibus omnibus Poloniae episcopatus non solum muro se opposuit, sed etiam quaestione exorta rem totam Sedi Apostolicae necnon — ut arbitramur — generalis concilii Later. IV patribus retulit. Unde evenit, quod Innocentius III et partes Poloniae episcopatus auctoritate sua apostolica sustinuit (cfr. Theiner, Monumenta Slavorum meridionalium I, nr. 73-75) et praefatum canonem 53 in concilio generali (1215) edidit.

Haec sunt de ipsa canonis 53 origine. Ex ordine, ut tota materia clarior reddatur et contraria resolvantur, inspicienda ac ponderanda sunt argumenta, quae pro alterutra nostrae quaestionis solutione militant. In quibusnam rationibus suam sententiam fundaverint Hefele et Leclercq, nescimus. Pro eorum opinione, nostro iudicio, ad summum allegari posset dictum Innocentii IV, qui in suo Apparatu in quinque libros decretalium, ad c. 32 de decimis habet: « *In aliquibus*. (Permixtae puta Saraceni et Iudaei, sicut in Hungaria. (Christiano) ut Graeci et Armeni, et consimiles ». Sed unicuique istius dicti vim comprehensivam consideranti certum erit, in illo potius practicam exemplificationem capituli 32 quam historicam relationem de origine canonis 53 concilii Later. IV inquirendam esse. Aliter res se habet in sententia auctorum Polonorum, quam recentissimis temporibus secutus est Schmid H. F., Die rechtlichen Grundlagen der Pfarrorganisation auf westslavischem Boden und ihre Entwicklung während des Mittelalters IV, II F., III K., Zeitschrift der Savigny-Stiftung für Rechtsgeschichte, Kan. Abt. XVIII, 1929, p. 445 sq. His indubiis documentis probata facta historica iuculenter coincidunt cum tempore concilii Later. IV necnon cum argumento canonis 53, in duas partes divisi. Et praecise, quod attinet ad secundam partem: « Illae quippe decimae necessario solvendae sunt, quae debentur ex lege divina vel loci consuetudine approbata », adicienda est insuper pro nostra quaestione satis concludens ratio. Celeberrimus, coaevus canonista Vincentius Hispanus in suo Commentario ad canones concilii Later. IV, interpretando nostrum canonem 53, scripsit ad v. « vel loci consuetudine approbata »: « § Ut in teutonia dantur pro decima certe mensura, sive coloni aliquid habeant sive nichil, unde forte propter incertitudinem toleratur... » (cfr. Gillmann, Der Kommentar des Vincentius Hispanus zu den Kanones des vier-

ten Laterankonzils (1215), Archiv für kath. Kirchenrecht 109 B. 1929, p. 251; Ioannis Andreae, In tertium Decretalium Librum Comment., Venetiis 1581, ad c. 32 de decimis; Antonius de Butrio, In librum tertium decretalium commentaria, Venetiis 1578, ad c. 32 de decimis). Qua notitia obtenta, nihil obstat, immo omnia suadent, ut etiam ex hoc historico fonte deducatur argumentum pro sententia nostra.

*De coelibatu in legibus antiquissimis ecclesiasticis Hungariae
usque ad Gregorii IX Collectionem*

S. SÍPOS

Seminarium Maius, Pécs

Tempore conversionis Hungarorum, sc. exeunte saec. X, ineunte saec. XI studium reformationis a Cluniacensibus excitatum per totum Occidentem diffusum erat.

Primi praecones evangelii in Hungaria versus finem saec. X sub duce Geysa, dein magistri et collaboratores S. Stephani primi Hungarorum regis hoc spiritu fuerant imbuti. Ipse S. Stephanus epistolare commercium fovit cum S. Odilone, Abbate Cluniacensi.

Non est dubium, quin tempore S. Stephani episcopi et missionarii omnes ex religiosis assumpti continentiam servaverint. Ex legibus S. Stephani nulla de coelibatu agit; non fuit necessaria talis lex.

Post primam generationem sacerdotalem ab exteris oriundam clerici ex indigenis sumpti uxores retinuerunt; si non uxorati ordinati sunt, matrimonium contraxerunt. Coelibatus neglectus fuit. In Occidente tunc iam S. Leo IX, Nicolaus II, Alexander II, Gregorius VII omnibus viribus adlaboraverunt, ut gravissima mala simoniae, incontinentiae clericalis, et investiturae eradicarent. In Hungaria autem turbulentis illis temporibus post obitum S. Stephani studia Gregorii VII effectu carebant. Necessarium evasis supplere legislationem St. Stephani.

S. Ladislau rex Hungariae a. 1092 synodum celeberrimam Szabolesensem celebravit, ubi praeter alia etiam de clerogamia capita sunt condita. Cap. 1 eodem modo ac canon 3 synodi Trullanae, bigamos presbyteros et diaconos, necnon viduarum et repudiatarum maritos separari iubet, caput 3 vero congruenter cum can. 13. Trullano indulgentiam dat ad continuandum matrimonium ante ordinationem contractum; in eo tamen differt a canone

Trullano, quod non absolute libertatem matrimonii ante ordinationem initi concedit, prout can. Trullanus, sed ad tempus, sc. « quousque nobis in hoc domini apostolici paternitas consiliatur ». Fons capitum Szabolesensium canones Trullani fuerunt, influxus tamen legum occidentalium manifestus est, quas synodus executioni mandare studuit, in quantum circumstantiae Hungariae permiserunt.

Leges postea latae in dies pressius se accomodant legibus Pontificum.

Sub Colomanno rege (1095-1116) circa a. 1107 celebratur synodus Strigoniensis I, quae presbyteris in legitimo matrimonio viventibus permittit adhuc usum matrimonii, in quibusdam punctis tamen ulterius progreditur. — A. 1114 altera habebatur synodus Strigoniensis, quae iam absolute praescribit coelibatum. Temporibus his Paschalis II fortiter urgebat observantiam legum a suis praedecessoribus latarum. Aderat tempus, ut indulgentia a synodo Szabolesensi revocaretur. Papa suum consilium notum fecit in decretis multorum conciliorum a suis legatis celebratorum, et sic factum est, ut lex in synodo conderetur, quae indulgentiam S. Ladislai revocavit, continuationem matrimonii ante ordinationem contracti prohibuit, et ab ordinandis votum continentiae postulavit et in violationes harum legum poenas statuit.

Studia ergo Romanorum Pontificum plenam victoriam reportarunt: idea coelibatus clericorum in Hungaria ab omnibus agnita fuit. In praxi tamen per totum saeculum XII et XIII inveniuntur adhuc clerici coniugati. Quod circumstantiae illorum temporum non excusant quidem, sed explicant.

Romani Pontifices interea coepto a praedecessoribus labori strenue insistebant. Iuris canonici studium inde a Gratiano Bononiae ex cultum quaquaversus diffundebat cognitionem legum ecclesiasticarum et hoc quoque multum contulit ad reformationem perficiendam. Etiam ex Hungaria multi frequentabant universitatem Bononiensem, qui in patriam reduces ut iudices, praelati leges ex collectione Gregoriana cognitae applicabant, docebant et urgebant. Altero dimidio saec. XIII concilia quoque celebrabantur, quae grassanti clerogamiae malo medelam afferre studebant.

Anno 1267 synodus Viennensis a. 1274 Budensis celebrabatur, quarum leges de coelibatu iam perfecte accomodatae fuerunt legibus universalibus ita ut exinde iam nullae aliae leges circa coelibatum condi debuissent, nisi hinc inde poenales ad puniendos praevaricatores legum. Synodi postremum nominatae in statutis suis non semel de verbo ad verbum repetunt leges in Collectione Gregoriana contentas, quae ergo notabilem partem habuit in perficienda legislatione ecclesiastica Hungariae circa coelibatum.

Quibus de causis et qua via taxae stolae recognitionem ecclesiasticam sint consecutae

V. Fuchs

Academia, Dillingen a. d. Donau

I. — Morem postulandi munera pro administrandis christianis sacramentis et sacramentalibus habere nexum cum more Germanorum paganorum postulandi munera ab eis, qui fanis a se extractis utebantur, probari non potest.

Sed instituto « ecclesiarum propriarum » mos iste haud parum est promotus; nempe: Possessores tam saeculares quam ecclesiastici usumfructum facultatum ecclesiarum suarum presbyteris ibi servientibus contractu interiecto valde limitabant; fundis et decimis plerumque sibi retentis presbyteris regulariter tantum praeter oblationes missarum munera occasione administrationis sacramentorum et sacramentalium data relinquebant. Huiusmodi divisio institutis ecclesiasticis de iure libebat ex « incorporatione », praesertim capitulis et abbatibus. Presbyteri plerumque egestate pressi dicta munera, cum pars essent sustentationis necessariae et portionis congruae, extorquebant.

II. — Ecclesia excepto concilio Eliberitano semper admisit, ut munera sponte data acciperentur, numquam, ut antea vel pactione intercedente exigerentur, reiecta expresse omni, quae invocabatur, consuetudine.

Primum in Anglia brevi post annum 1000 agnitus est « animae census », qui solvebatur aperto sepulchro. Eodem fere tempore Ecclesia consuetudinem dandi munera defendere coepit et promovere.

Circa annum 1200 compluribus constitutionibus firmabatur regula: Nihil omnino ante exigatur, sed post laudabilem consuetudinem exigi potest.

Concilium Lateranense IV gratuitatem ministerii christiani cum necessitatibus temporis componere intendens id, quod iure particulari statutum erat, extendit ad Ecclesiam universam, sed abusus tunc vigentes parum potuit emendare.

De causa matrimoniali Petri Catholici Regis Aragoniorum (1206-1213)

I. Wincke

Universität, Freiburg i. B.

1. Circumstantia iuridica et politica.
 2. Modus in probationibus adhibitus.
 3. Sententia per Innocentium Papam III pronuntiata.
- Fontes principales sunt depositiones testium in quodam archivo inventae.

Relatio iuris canonici ad leges barbarorum Germanorum

I. Hollensteiner

Universität, Wien

I. — De natura et historia « legum barbarorum » i. e. « Volksrechte ». Quando et quomodo sint ortae: quae et quales sint pro nostro fine instructissimae.

II. — De legibus ecclesiasticis earumque Collectionibus istius temporis brevis recapitulatio.

III. — Quomodo lex ecclesiae in citatas leges populi Germanici influerit quoad:

- a) statum clericalem, imprimis episcopalem;
- b) bona ecclesiastica et ius donandi;
- c) asylum ecclesiae;
- d) coelibatum clericalem;
- e) dies Dominicas;
- f) matrimonia et matrimonia « minoris iuris »;
- g) adulterium, deflorationem, fornicationem, abortum.

IV. — Quomodo vicissim istae leges in normas ecclesiasticas aliquo modo et particulatim influxerint.

Relatio inter Ius Canonicum et Ius Hebraicum

C. L. Gonzalez

Universidad Pont. de Puebla, México

- 1) Ius hebraicum in V. T. contentum, ex iure naturali constans et divino-positivo, ingreditur ius romanum et ibericum efformandum.
- 2) Ius canonicum vigens eadem relatione cum iure hebraico est ac ius vetus.
- 3) Sicut Iesus Christus est in typis et vaticiniis V. T., ita ius ecclesiae Christi sua fundamenta in V. et N. T. libris habet.

De mente Gregorii IX in adornanda collectione Decretalium

V. Jelčić

Athenaeum Antonianum, Roma

Condiciones praeviae quae collectionem Gregorii praepararunt: Centralizatio iuris eccl. et practicae agnita potestas Rom. Pontificum leges ferendi pro tota Ecclesia. Momentum Gratiani in hoc opere non provenit ex eius quadam speciali doctrina seu theoria.

Causa movens Gregorium non potest esse desiderium firmandi potestatem legislativam Rom. Pontificum quia:

a) ex una parte haec potestas communiter agnita erat eaque Rom. Pontifices usi sunt; ex alia parte aderant aliae causae, quae efficaciter movere Gregorium potuerunt. Momentum relationis Ioannis Andreae de hac re confirmatae et suppletae relatione Ioannis de Deo seu Hispani de eadem re referentis, cuius manuscriptum nuperrime detectum et restructum est;

b) talis causa impossibilis est inspecta indole et dotibus Gregorii, prouti ipsa documenta contemporanea describunt, inspecta praesertim Gregorii mente de potestate Rom. Pontificis alias manifestata.

Conclusio: Inspectis omnibus argumentis pro et contra, non est recedendum a pristina sententia catholica, mentem scilicet Gregorii esse illam, quam in bulla « Rex Pacificus » expressit.

Sancti Raymundi auctoritas in re poenitentiali

A. Walz

Institutum Internationale Angelicum, Roma

Verba praefationis: Compiler Decretalium a Gregorio IX dictarum, nempe ipse sanctus Raymundus, egregia praestitit pro re poenitentiali. Merito igitur haec raymundiana studia inspiciuntur sub tribus articulis.

I. — *Motus culturales et personales ad designandum sanctum Raymundum auctorem poenitentialem* explicantur ex circumstantiis socialibus, oeconomicis, religiosis, doctrinalibus, ecclesiasticis ac curialibus.

II. — *Sanctus Raymundus auctor Summae casuum* apparet in libro famosissimo, cuius intentio, exarationis tempus, divisio, character, fontes, methodus praesentantur.

III. — *Auctoritatis raymundianae in re poenitentiali traductio ad generationes sequentes* per curam sacrorum studiorum, maxime in Ordine Praedicatorum, per diligentiam in multiplicandis libris de hac materia, per industriam similium tractatum perficiendorum, per iudicium auctorum plurium illustratur.

Conclusiva consideratio: Magnopere attendens ad rem doctrinalem Ecclesiae ministris summe necessariam, sanctus Raymundus auctoritatem singularem in re poenitentiali promeruit.

Sanctae Sedis personalitas internationalis in Decretalibus et Iure Gentium

M. Mostaza

Pont. Universitas Gregoriana, Roma

I. — *SYNTHESIS DOCTRINAE.* — Apostolicae Sedis Suprematia in ordine internationali clare statuitur in Tractatu Lateranensi, 11 februarii 1929, articulo 2., ut *attributum inhaerens suae naturae*, ut *postulatum propriae missionis spiritualis* in universo mundo exercendae, ut *assertum conforme perpetuae traditioni historicae* in Iure Gentium.

II. *EXPOSITIO.* — 1. *Attributum inhaerens suae naturae:* ratione suprematiae spiritualis, visibilis, universalis, in toto orbe atque in tota saeculorum serie.

2. *Postulatum propriae missionis:* Quia exercitium talis suprematiae in rebus spiritualibus et mixtis exigit tum apud nationes catholicas, tum apud acatholicas in quibus tamen sint quamplures cives catholici, pro legitimo et recto usu suae iurisdictionis et pro satisfactione et quiete civium catholicorum, plenam libertatem, independentiam supremam realem ac cunctis manifestam. Imo, etiam nationum, in quibus quamplures cives catholici degunt, valde interest ut influxus S. Sedis in subditos catholicos a quavis alia saeculari potestate, forte aemula aut adversa, immunis conservetur et ita certo constet.

3. *Conforme traditioni historicae in Iure Gentium.* — A) *In aevo antiquo et medio.*

a) Tempore Rom. Imperii christiani: venerata S. Sedis personalitas suprema inter publicas potestates, et asserta in legislatione civili (*Cod. Theodos.*, lib. I, tit. 1; lib. XVI, tit. 2; tit. 5; *Cod. Iustin.*, 1, 8, tit. 1, lib. I; tit. 2 et 3, eiusd. lib.; cap. 2. *Novellae* 131.

b) In alto medio aevo: *ethnarchia christiana*, sacr. Rom. Imperium, nationalitates europeae (*Capitul. et Const. Regum franc. et german.*, passim; *Alphonsi X, Partita I*, tit. 5; *Partita II*, tit. 1).

B) *In Decretalibus Romanorum Pontificum.*

a) *Calixti II* cum *Henrico V.* Imper. *Concordatum Wormatiense*, a. 1122; *Friderici II:* Forma pacis inter Ecclesiam Romanam et Imper., a. 1230.

b) De stud. *Universitatibus:* *Decret. Innoc. III*, 1203, de *Univ. Parisiensi* (c. 7, X de procur., I, 38); *Clementin.* 1 et 2 de *Magistris* (V, 1).

c) *Innoc. III*, c. 13 « *Per venerabilem* » X (IV, 17); c. 34, X, de elect. « *Venerabilem* »; c. 6 de M. et O. « *Solitae* » (I, 33); c. 13, X, de iudiciis, « *Novit* » (II, 1); *Innoc. IV*, c. 2 in VI, de sent. et re i. « *Ad Apostolicae* » (II, 14); *Bonif. VIII*, c. 3 « *Clericis laicos* », in VI, de immunit. eccles. (III, 23); *Bulla « Unam Sanctam »*, c. 1, in Extrav. comm., de M. et O. (I, 8); etc.

C) *In Aevo moderno.*

a) A tractatu Westphaliae usque ad debellationem Urbis, a. 1870.

b) A 1870 usque ad Tractatus Lateranenses, a. 1929. (*Leges, Conventiones, auctores* de Iure Internationali).

c) Status Civitatis Vaticanae.

III. — *CONCLUSIO.*

Ius publicum Ecclesiae Decretalibus Gregorii IX illustratum

I. Rousseau

Université Catholique, Ottawa

INTRODUCTIO AD ARGUMENTUM

1. Licet Decretalium Liber Gregorii IX tamquam fons Iuris Privati Ecclesiae in primis merito habeatur, attamen, ad Ius Publicum quoque illustrandum certo certius conferre potest.

2. Tale argumentum studio Iuris peritorum duplici ratione commendatur:

a) *speculativa*: prout in ipsius Collectionis Gregorianae laudem cedit, cuius septimum a promulgatione saeculum celebramus;

b) *practica*: ut hodiernis temporibus sensus renovetur Iuris Publici Ecclesiae, adeo infeliciter neglecti, ignorati etsi non despecti, in utilitatem non Ecclesiae tantum sed aliquatenus ipsius consortii civilis.

3. Ratio procedendi.

a) Paucis praemissis animadversionibus ad argumenti intellectionem utilioribus,

b) evolvitur ipsum argumentum duplici sequenti dilucidatione:

i) de Iure Publico Ecclesiae Interno;

ii) de Iure Publico Ecclesiae Externo.

PRAEVIAE ANIMADVERSIONES

1. De generali notione Iuris Publici Ecclesiae.

2. De modo generali Ius Publicum Ecclesiae ex Collectione Gregoriana illustrandi.

a) Praedicta illustratio non ex solo facto historico ortus Collectionis Gregorianae habetur quod, utique, de viginti atque viventi Ecclesiae Iure Publico procul dubio attestatur; sed ex ipso textus tenore diligenti inquisitioni subiecto.

b) Non autem Iuris Publici doctrina, quasi ex professo ad modum systematici atque integri tractatus tradita, est ibi inquirenda; bene, vero, quatenus varia capita Iuris Publici hic et illic disseminantur, colligenda sive ex diserta quorumdam institutorum iuridicorum expositione, sive ex simpliciter

Principiorum Iuris Publici invocatione, a Legislatore in suffragium dispositionum Iuris Privati repetita vice facta.

DILUCIDATIO PRIMA: DE IURE PUBLICO ECCLESIAE INTERNO

1. *De fundamento dogmatico Iuris Publici Ecclesiae*: ex titulo I, De Summa Trinitate et Fide Catholica.

2. *Ecclesia in suo coetu sociali considerata*.

a) De eius constitutione sociali essentiali:

i) quoad elementum materiale, scilicet, membra aggregata;

ii) quoad elementum formale, scilicet, ordinem iuridicum quo omnes et singuli fideles in unitate sociali cinciuntur.

b) De eius praerogativis socialibus essentialibus, prout est societas:

i) una, unitate formali;

ii) iuridica, vi legis superioris divinae condita;

iii) perfecta, perfectione iuridica.

c) De eius organizatione convenienti, quatenus, stante praedicta unitate, fideles distribuuntur:

i) in varias classes, pro eorumdem statu et conditione iuridica;

ii) in varios coetus, pro eorumdem ordinatione politica seu regiminis.

3. *Ecclesia in suo regimine considerata*.

a) Ecclesia est stricte hierarchica:

i) in genere: attenta distinctione necessaria inter coetum rectorum et coetum subditorum;

ii) in specie: attenta constitutione fundamentali regiminis monarchici, in duplici principatu essentialiter subsistentis, nempe, Pontificatu Supremo et Episcopatu subordinato.

b) Principatus Supremus Romani Pontificis.

i) Romanus Pontifex in supremo gradu Ecclesiae iure divino ponitur, cum vero:

1) primum locum obtineat non tantum honoris sed et potestatis;

2) plenitudinemque potestatis a quocumque independentis sortiatur.

ii) Negotia maiora eidem reservantur aliaque omnia ab ipso ultimam recipere sententiam vel solutionem nata sunt.

iii) Ipse autem varia suscepta negotia expedit:

1) vel per se ipse personaliter;

2) vel per alios diversis titulis illum adiuvantes eique sollicito adsistentes.

c) Principatus subordinatus Episcoporum.

DILUCIDATIO ALTERA: DE IURE PUBLICO ECCLESIAE EXTERNO

1. *De fundamento iuridico-theologico relationum inter Ecclesiam et Statum.*

- a) De modo quo communiter solet intelligi;
- b) De modo quo forte accuratius videtur esse intelligendum.

2. *De radicali distinctione et mutua independentia inter Ecclesiam et Statum.*

a) De distinctione formali inter utrumque coetum socialem atque regimen.

- b) De mutua independentia inter utramque potestatem socialem.

3. *De relationibus iuridicis inter Ecclesiam et Statum.*

a) De immunitate Ecclesiae a potestate Status, salva concessione ab Ecclesia ex privilegio facta aut tolerata.

b) De Status dependentia, Ecclesiae:

- i) iure divino vindicanda;
- ii) iure consuetudinario legitime quaesita.

4. *De iuribus Ecclesiae in infideles.*

*Origo et illustratio formulae "Salva Sedis Apostolicae auctoritate",
in Pontificiis privilegiis*

I. B. Sägmüller

Universität, Tübingen

1° Enarrantur auctores, qui iam de hoc themate scripserunt. 2° Dissertitur de privilegiis nove vel inventis vel correctius editis, quibus inest formula « Salva Sedis Apostolicae auctoritate ». 3° Demonstratur, quid ex his omnibus elucescat.

*Elementa ex libro V Decretalium ad definiendos gradus imputabilitatis
(dolus eventualis, delicta ex culpa etc.)*

C. Corsanego

Pont. Inst. Utriusque Iuris, Roma

Decret. Greg. IX Lib. V, tit. XI, tit. XII, in quibus invenitur: omissio debitae diligentiae; omissio alicuius facti; corpus inactivum, animus activus, cum ex omissione aliquis eventus directe sequitur; corpus activum, cum homo debitam in agendo diligentiam, ne noceat, adhibere teneatur, ac proinde non praeviderit quod praevideri poterat ac debebat; etc.

Versiones castellanae Decretalium Gregorii IX

R. Blaza

Universidad, Madrid

Tres codices continent versionem castellanam Decretalium Gregorii IX mihi cogniti sunt, quorum unus in Bibliotheca Escorialensi servatur, alii duo in Bibliotheca Palatii Nationalis (olim Real). Omnes tres codices scripti circa finem saeculi XIII vel initia XIV.

Hae tres versiones substantialiter conveniunt, non adhaerent quidem litterae Decretalium, sed potius ex Glossa Ordinaria substantialia reddunt. Lexicis et orthographicis notis differunt, attamen videntur ex uno archetypo procedere, quamvis indicia deficiant ad earum mutuas relationes determinandas. Quare vulgari lingua explicatae fuerint Decretales non facile quis suspicari potest. Nam tum canonistae, tum legistae non raro in suis disputationibus canones adhibentes, non ignari videntur illius rudioris sermonis quo Glossa redacta fuit.

Intentionem auctoris versionis hypothetice colligi potest, aliam versionem etiam attendendo Ethimologiarum Divi Isidori, non perfectam et certe minus cognitam. Omnes hae versiones forsitan conabantur cognitionem diffundere illarum quaestionum iuris canonici, quae alicuius momenti esse poterant, non quidem ipsis ius profitentibus, attamen illius notitia aliquatenus indigentibus.

Ius canonicum quantopere ad Polonorum legislationem civilem pertineat

I. Grabowski

Universitas, Warsawa

Poloni, cum gratia S. Spiritus lavacro baptismali abluti beneficio Sedis Apostolicae catholicam veritatem accepissent, acceptam cum perseverantia retinuerunt, iidemque tot et saeculis et casibus exercitati in necessitudinibus pristinis permanserunt. Populus Polonus fidei orthodoxae et corpori Ecclesiae adiunctus multum eidem Ecclesiae debuit. Etenim opera doctrinae catholicae renascitur eiusque civitas vi legum ecclesiasticarum recte constituitur atque corroboratur.

I. — Ad ius canonicum cum in provincia ecclesiastica tum in civili stabilendum multum valebant sequentes auctoritates:

1. Legati Sedis Apostolicae, quorum auctoritas ad disciplinam populi fidelis et ad debitam verecundiam potestatis spiritualis ac saecularis corroborandam plurimum contulit, iuris pontificii executores et legislatores in synodis ab ipsis coadunatis exsisterunt.

2. Clerus catholicus, imprimis episcopi, in comitiis legum ferendarum pars magna fuerunt, quippe quorum consilio codices civiles digesti essent, velut in praefatione Statutis a rege Casimiro Wislicae anno 1347 promulgatis adiuncta haec scripta leguntur: « Nos Casimirus Dei gratia rex Poloniae de consilio venerabilis in Christo patris domini Jaroslai sanctae Ecclesiae Gnesnensis archiepiscopi necnon praelatorum, palatinorum ad perpetuam rei memoriam statuta edidimus infrascripta ».

3. Universitates extraneae et quidem eae, quae medio aevo in Italia flourerunt, velut Bononiae et Patavii, ubi plurimi Polonorum studiis iuris canonici operam dantes in patriam reversi doctrinam canonicam ibidem comparatam divulgabant.

4. Academia Cracoviensis consentiente Pontifice Romano Urbano V a rege Casimiro anno 1364 condita et annuente Bonifacio IX a rege Ladislao Jagiellone anno 1400 instaurata iuris canonici lectionibus et studiis maxime florebat. Eadem summis laudibus propterea cumulata est, quod ab Apostolica Sede nunquam defecit. Doctoratus eius ab iis, qui illo decorati erant, tanti aestimabatur, ut primo loco ante alios titulos poneretur.

II. — Ius civile iuri canonico debet:

1. Formam compilationis, nam systema compilationum civilium non dif-

fert a systemate compilationum iuris canonici, et rubricae titulorum magna ex parte e Decretalibus Gregorii IX desumptae sunt.

2. Quae in codicibus civilibus continentur, ex iure Decretalium derivantur:

a) Nonnullae leges ad verbum a iure Decretalium ad ius civile translatae sunt.

b) Nonnullis legibus canonicis legislator civilis tamquam exemplaribus ad simillimas normas constituendas usus est.

c) Consuetudines in Polonia vigentes ad mentem iuris Decretalium sunt reformatae.

d) A sacris canonibus notitia iuris divini et naturalis et positivi in Polonia est inculcata, quod ius in legibus civilibus Polonorum commemoratur saepissime.

3. Ius canonicum virtute sua plurimum civitati profuit, ius vero civile brachio suo canonibus sacris vim et auxilium praestitit. Quae salutaris utriusque iuris coniunctio effecit, ut communis utilitas et civium concordia augetur.

*Quibus viis in Poloniam ius Decretalium Gregorii IX penetravit
et de huius collectionis saec. XIII in Ecclesia Polonorum
receptione et progressu*

A. Vetulani

Universitas, Krakowa

Auctor quaenam inter Polonorum Ecclesiam et Europam Occidentalem fuerit necessitudo explicat, et quomodo inde a saeculo XIII ineunte, haec affinitas inter Polonorum Ecclesiam et Europam Occidentalem accreverit, demonstrare satagit.

Primum enim, quod Episcopi Poloni tertio et quarto concilio Lateranensi interfuerunt, deinde quod saeculo XIII a summis pontificibus saepius quam antea rescripta ad clericos nec non ad principes Polonorum mittebantur, tum etiam, quod tutelae ratione de rebus publicis regni Polonorum sententiam ferebant, ad auctoritatem S. Sedis corroborandam et ad decretalium papalium vim in Polonia confirmandam permultum valuit. Etenim iam saeculo XIII ineunte ex Italia septentrionali compilationem primam et tertiam aliasque iuris decretalium collectiones in Poloniam pervenisse probatum habeo. Ubi autem primum Gregorii IX Decretales divulgatae sunt, eorum

exemplaria etiam in Polonia innotuerunt. Id autem, quod decretales, compilationibus antiquis inclusae, iam notae Polonis fuerunt, ipsius codificationis Gregorii IX receptionem facilem reddidit.

Quis autem decretalium Gregorii IX exemplaria in Poloniam transvexerit, non liquet. De legato Sanctae Sedis Guilhelmo de Sabaudia episcopo Mutinensi, qui annis 1234-1245 Poloniam aliquotiens visitavit, optimo iure cogitari potest. Fortasse quidam clericus e numero Polonorum, quorum permagnus numerus illis temporibus in Italiam iter faciebat, Decretales Gregorii IX in Poloniam transvexit. Ut res sese habet certe legati et clerici studio vacantes in divulgatione iuris communis ecclesiastici in Polonia maxima pars fuerunt; crebrius enim tum, quam saeculo praecedenti a clericis Polonis peregrinationes in Italiam et Galliam suscipiebantur studiorum causa, praecipue vero medio saeculo XIII^o occasione canonisationis S. Stanislai Episcopi Cracoviensis (a. 1079 martyrium passi). Ibi clerici Poloni honores summos in iuribus nasciscuntur, inde exemplaria Decretalium operaque virorum doctorum ad ius spectantia in Poloniam secum transportant.

Ita medio saeculo XIII *Summa super titulis decretalium* Goffredi de Trano, *Apparatus super toto volumine decretalium* Innocentii IV, Henrici de Segusia cardinalis Ostiensis *Summa Aurea*, *Speculum iuris* Guilhelmi Durantis, *Commentarium* Aegidii de Fuscariis; ita ad iudiciorum usum *Ordines iudicarii* in Poloniam transvecti sunt. Qui codices ex Italia in Poloniam traducti — quorum haud pauci in bibliothecis publicis atque ecclesiarum cathedralium asservantur (cum post possessorum mortem capitulis cathedralibus legarentur) ad iuris scientiam apud canonicos nec non curiarum episcopalium notarios officialesque promovendam et alendam maximi momenti fuerunt. Martini autem Poloni O. P., Nicolai archidiaconi Cracoviensis, Laurentii scolastici Vratislaviensis nomina indicio sunt manifesto, clericos Polonos iam saeculo XIII non solum in aliena scientia ediscenda acquievisse, sed etiam ipsos iuris universalis decreta interpretari conatos esse.

Ut tamen apud alias nationes, ita etiam apud Polonos haud plurimos his temporibus exstitisse clericos, qui iuris scientiae periti essent, id documento est, quod omnes fere codices saeculi XIII, qui nostram aetatem tulerunt, originem aut Italicam aut Gallicam produnt. Saeculis demum XIV et XV condita florentequae Universitate Cracoviensi iuris prudentia quoque in Polonia effloruit.

Quin etiam, a iuris notitia ad iuris usum sane longa fuit via et difficilis. Iuris enim universalis receptio in ius Ecclesiae Polonorum particulare non tam iuris prudentiae progressui aut evolutioni, quam actioni S. Sedis lega-

torum, quorum saeculi XIII dimidio maxima auctoritas fuit, debetur. Cum enim Gregorii IX Decretales haud semel magis complicatae fuissent, quam quae ab omnibus facile intelligi aut in vitam introduci possent, laudati S. Sedis legati Decretalium praecepta simplici forma induebant et praecepti argumentum tamquam in fronte statutorum collocabant, quo magis perspicue quid sibi Decretales vellent, ostenderetur. Idem fere studium in statutis synodorum provincialium Ecclesiae Polonorum, quae ab archiepiscopo Gneznensi convocabantur, cernitur. Exemplum Sedis apostolicae legatorum nec non metropolitaram Gneznensium ceteri quoque episcopi Poloni in statutis dioecesanis a se conditis adprime sequebantur.

Cum tamen alia, tum imprimis iudicia ecclesiastica ad iuris universalis in vitam introductionem permultum valuerunt. Quae cum ita fuerint nemini admirationi est S. Sedis legatos et sub eorum influxu episcopos Polonorum summo opere adnixos esse, ut privilegium fori et iuxta constitutionem Innocentii IV « Romana Ecclesia » iudicium officialis in Poloniam introduceretur, atque ut officiales et archidiaconi iuris prudentia erudirentur, praecipue egisse.

In conclusione indicat auctor causas iuris Decretalium receptioni in Ecclesia Polonorum obstantes, singulariter vero receptionem iuris beneficialis, iuris matrimonialis, processus et iuris poenalis describit. Quod autem specialiter rem beneficiariam attinet, auctor, quomodo Episcopi conati sint, ut in locum proprietatis ecclesiarum ius patronatus earum substitueretur, discrete enucleat.

*Ius canonicum, quanti momenti in evolutione Britannicae
" Equity Law " fuerit*

E. Wohlhaupter

Universität, München

Etiam adhuc in doctrina iuris Britannici differentiam iuris communis (Common Law) et iuris aequi (Equity Law) summi momenti esse inter omnes constat. Si fontibus antiquis nobis traditis et multis libris, qui ultimis annis de « Equity Law » scripti sunt, usi exploraverimus, quomodo hoc factum sit, apparebit ius Britannicum media aetate iuri canonico multo minus alienum fuisse quam iuri Romano. Demonstrari potest, Equity Law non solum quoad generalem tendentiam, sed etiam quoad speciales theses aequitati iuris cano-

nici multum debere. Constat quidem omnibus paene populis germanicis notam fuisse differentiam iudicandi secundum ius strictum et secundum aequitatem, immo, differentiam quoque specialium tribunalium modo exclusivo competentium in una aut alia forma iurisdictionis. Sed nusquam invenimus relationes clariores inter istam iurisdictionem aequitativam et aequitatem canonicam, quam in illo summo tribunali iuris aequi Britannici, quod dicebatur Court of Chancery, iam exstante seculo XIV. Haud frustra summi cancellarii regni Britannici, praefecti huius tribunalis, opponebant sensum aequitatis iuri communi Britannico apicum iuris pleno. Quod minus mirum est nobis scientibus, hos cancellarios usque ad saeculum XVI semper fuisse summos clericos et nobiscum cogitantibus fontes iuris canonici usque ad schisma saeculi XVI in Britannia quoque viguisse. In dialogo quodam, cui titulus: De fundamentis legum Angliae et de conscientia, ineunte seculo XVI scripto a clarissimo iurisconsulto Christophoro Seyniarmayne ratio iudicandi secundum Equity Law nominatur « conscientia ». Si vim et interpretationem huius verbi et, unde ortum sit, diligentius exploraverimus, relationes invenimus cum doctrina aequitatis, quam Gerson, ille egregius theologus Galliae maxime fovemat. Investigantes vim et effectum iuris aequi non solum quoad ius obligationum et rerum sed etiam quoad generalia principia invenimus hanc relationem, de qua supra diximus, iuris aequi Britannici cum aequitate canonica, non solum ineunte seculo XVI exstitisse, sed etiam pro certo sumendam esse extrema aetate media. Cum autem sine Equity Law progressus iuris Britannici explicari nequeat, apparet gravis auctoritas iuris canonici existens iam media aetate in illo regno Britannico, quod in aliis partibus consulto principiis iuris germanici adhaerescebat.

Ius canonicum inter Anglos praesertim Oxonienses saec. XV

E. F. Iacob

Oxford University

1. Ius canonicum et lex communis regni Angliae saec. XV ineuntis. Quomodo se habebant Rex et Parlamentum Angliae ad libertatem ecclesiasticam.
2. Quibus maxime profuit iuris canonici notitiam habere. Iurisperiti ecclesiastici in Cancellaria domini Regis et Procuratores Anglici in curia Romana, Notarii Apostolica auctoritate.
3. Praxis curiae Cantuariensis. De iurisconsultis et iudicibus eiusdem, praesertim Guilelmo Lyndwood, domini Archiepiscopi cancellario.

4. Eruditio clericorum in iure canonico. De instructione scholarium in academia Oxoniensi, prout per statuta Universitatis ordinationesque Facultatis ordinabitur.

5. Facultatis Iuris libri in bibliothecis Oxoniensibus secundum veteres catalogos. Textus et commentarii, sive cathenati, sive distribuendi.

6. Elenchus librorum canonicalium in bibliothecis collegiorum sequentium: collegii Novi, Omnium Animarum, de Merton, de Oryell.

Documenta inedita, quibus illustratur genesis doctrinae S. Roberti Bellarmini de relatione iuridica Ecclesiae et Status Civilis, eiusdemque doctrinae cum R.R. Pontificum decretalibus connexio

S. Tromp

Pont. Università Gregoriana, Roma

1. — Notissima est Controversia S. Roberti Bellarmini de Romano Pontifice, ubi libro quinto attingitur potestas Pontificis in temporalibus.
2. — Evolutio doctrinae huius Controversiae apparet ex quinque documentis, quorum quattuor sunt inedita, et quorum primum iam erat redactum ante annum 1570, id est ante professoratum Lovaniensem.
3. — Ex istis documentis apparet:
 - a) Bellarminum hac in re inde ab initio fixam habuisse sententiam.
 - b) Eum inde ab initio ad negandam sententiam potestatis directae provocasse ad decretalia R.R. Pontificum.
 - c) Eum quoad potestatis indirectae explicationem, imprimis adhibuisse considerationem e subordinatione finium; postea addidisse considerationem e frustratione finis spiritualis et e natura Corporis mystici; alludere solummodo ad considerationem ratione peccati.
 - d) Bellarminum repetere distinctionem explicitam verbalem et realem inter potestatem directam et indirectam iam ex auctoritate Innocentii IV.

*“ Novae constitutiones „ ab Innocentio IV
collectioni Gregorii IX additae*

I. Battelli

Pont. Institutum Utriusque Iuris, Roma

Cum Innocentii IV collectio decretalium a codicibus manuscriptis nobis tradita pluriesque edita constitutiones 41 vel 42 numero contineat, litterae quaedam eiusdem pontificis a cod. lat. 350 Bibl. Universitatis Erlangen a J. F. Schulte editae initia 54 constitutionum praebent quae universitati Bononiensi missae sunt ut in corpus iuris insererentur atque in scholis exponerentur; unde duas fuisse collectiones Innocentianas hucusque credidimus, quarum prior minor, altera maior.

Textus autem earundem litterarum, prout in Regesto Vaticano continetur, initia 41 constitutionum nos docet, ideoque unam tantum collectionem exstitisse recte probatur.

*De dispensationibus a lege ieiunii eucharistici praesertim erga fideles
praestantioris ordinis et sacerdotes Missam celebrantes*

A. Villien

Institut Catholique, Paris

1. Origo historica legis de ieiunio eucharistico.
2. Ea lex non est habenda ut praeceptum divinum obligans semper et in quolibet casu (cfr. etiam can. 838 § 1); quapropter non semper et in omnibus locis eodem cum rigore est applicata.
3. Doctrina Benedicti XIV circa potestatem dispensandi ab hac lege.
4. Dispensationes RR. PP. concessae: a) quoad fideles Communionem recipientes; b) quoad sacerdotes celebrantes.
5. Conclusio.

De exsecutoribus provisionum apostolicarum et eorundem iurisdictione

G. Barraclough

Oxford University

Diffusio provisionum apostolicarum quoad beneficia, saec. XIII et XIV. Huius moris incommoda.

Scripta decretalistarum saec. XIII et XIV quae maxime utilia sunt ad hanc agendi rationem penitus intelligendam. Opuscula eiusdem aetatis, a relatore apud mss. inventa, quibus exponitur ratio agendi pro litterarum apostolicarum executione, et pro processu de hac re: hic processus maximi est momenti ita ut beneficia ecclesiastica potius per processum iudicarium quam per ipsum rescriptum tributa fuisse videantur.

De rescriptorum huiusmodi interpretatione et clausulis. De exsecutoribus eorumque iurisdictione.

*Ecclesia de occultis non iudicat (Problemata ex doctrina poenali
decretistarum et decretalistarum a Gratiano usque ad Gregorium PP. IX)*

S. Kuttner

Bibliotheca Apostolica Vaticana

I. Problema dogmaticum

Doctrina medii aevi notione occulti aliter utitur ac doctrina moderna (e. g. can. 1045, 1037, 2197 cod. i. c.), pro delicto scil. abscondito et secreto in sensu latissimo. Crimen occultum significat:

a) actum mere internum peccati;

b) actionem quae, quamvis externa, ad cognitionem aliorum non venit.

Dum hae duae significationes in doctrina moderna duabus diversis partibus iuris adscribendae sunt, prima scil. iuri materiali seu substantivo poenali, secunda autem processuali tantummodo, haec divisio notionis « occulti » in doctrina medii aevi locum non habet. In efformatione enim iuris poenalis saepe normae probandi criminis fundamentum exhibent et originem normarum et notionum substantialium (e. g. in doctrina de ignorantia, de dolo, de actione petitoria et possessoria, de onere probandi).

In iure canonico praecipue nomen occulti, etiam sensu lato adhibitum (i. e. processuali), momentum habet materiale, uti patet ex historia poeniten-

tiae privatae et publicae, disciplina depositionis et excommunicationis, necnon infamiae.

II. *Analysis praecipuorum casuum huius regulae « Eccl. de occ. non iud. »*

1. Quomodo distinguatur notio criminis seu delicti a notione peccati per criterium « procedendi ad actum ».

2. Essentia et gravitas culpae in criminibus ab ecclesia per circumstantias sicut per signa exteriora, non autem immediate cognosci potest.

4. Voluntas et actus quomodo sint obiecta imputationis:

a) Voluntas sola non punitur, in conatum procedere debet;

b) Actus sine voluntate etiam quandoque punitur, quod e converso sequitur ex regula praedicta.

4. De crimine manifesto vel occulto in disciplina depositionis.

III. *An haec regula discrepet ab altera, quod omnis reatus non nisi in voluntate existat?*

Quatenus per regulam priorem (sc. Ecclesiam de occultis non iudicare) eximitur quis a poena ecclesiastica, discordia inter duas regulas oriri non potest, quoniam voluntatem solummodo esse imputabilem non significat necessario omnem voluntatem esse imputabilem.

Quatenus actus sine voluntate quandoque punitur (II 3 b), regula de voluntate solummodo puniendi laedi videtur; sed hanc contrarietatem canonistae solverunt distinguendo inter casum fortuitum absque culpa et casum cum culpa (quia sc. datur opera rei illicitae seu licitae, sed non cum omni diligentia), inter actum sine omni voluntate et cum voluntate indirecta, inter ignorantiam excusabilem et ignorantiam crassam, supinam, seu affectatam etc. Quibus distinctionibus signa exteriora (sive indicia) culpae internae determinari possunt, sicut efficitur, ut per indicia, de iure aequipollentia ac culpa ipsa, quae per se cognosci non possit, hae duae regulae (sc. ecclesiam de occultis non iudicare et omnem reatum non nisi in voluntate esse) concordari possint.

In quantum contrarietas solvi non potest (e. g. in irregularitate ex mero facto, quae ante Gregorium IX, saepe de iure incurrebatur), canonistae diversitatem iuris fori a iure poli servandam declaraverunt.

IV. *Rationes theoreticae huius regulae « Eccl. de occ. non iud. »*

Sunt duo fora, humanum sc. et divinum. Humanum sive terrenum ex una parte imago et praeformatio fori divini, quantum fieri potest, esse debet; ex altera parte necessario imperfectum est et iudicio Dei adaequare

non potest. Fundamentum regulae nostrae in hoc consistit, quod solus Deus occulta cognoscere et diiudicare queat. Problema iudicii de occultis pars est problematis generalis, quod sc. ius positivum imperfectius est iure divino, sicut et finis iustitiae terrenae fine iustitiae divinae, cui soli poenarum perfecte iusta retributio reservata est, dum iudices terreni, sive saeculares sive ecclesiastici, nihil aliud quam perversos corrigere et emendare, mali cupidos perterrere, fideles tueri posse a canonistis edocentur. Ad supplendam autem hanc imperfectionem Ecclesiae data est iurisdictio fori interni, quoniam in sacramento poenitentiae sacerdos sive iudex de occultis etiam sibi revelatis ligando et solvendo iudicat.

Adnotatio. — Omnes hae doctrinae e scriptis theologorum et canonistarum usque ad Gregorium IX, quorum plurima e codicibus mss. inspexi haustae sunt.

Ius canonicum particulare in Polonia tempore Decretalium Gregorii IX

W. Abraham

Uniwersytet Jana Kazimierza, Lwów

Ecclesia sub dominio potestatis saecularis. Actio Archiepiscopi Henrici pro libertate et immunitate ecclesiae (1199-1219).

Investitura, ius spoli, privilegium fori.

Ecclesiae in proprietate privatorum.

Beneficia. Ecclesiarum parochialium redditus. Columbacio. Decima.

Statuta concilii provincialis Archiepiscopi Fulconis a. 1233.

De vita et honestate clericorum, de decimis, decima libera, contra violatores ecclesiarum, de religiosis, de secreto servando, de vicariis ecclesiarum parochialium.

Revocatio antiquorum statutorum poenaliu.

Influxus Decretalium Gregorii IX in legislationem, vulgo appellatam

“ *Las Partidas* „ Alphonsi X in Hispania

R. Bidagor

Pont. Università Gregoriana, Roma

I. — Compilatio iuridica, quae in Hispania sub nomine Partitionum (« *Las Partidas* ») venit, ius tunc cognitum, et canonicum et civile comprehendit universum. Ius canonicum hauritur ex praecipuis collectionibus

canonicis, praesertim ex Decretalibus Gregorii IX paulo prius promulgatis. Ius civile ex collectionibus romanis. Praecipui compilatores, quorum opera usus fuerat Rex, frequentaverant scholas italicas, maxime Bononiensem. Ex alia parte commercium episcopos inter hispanos et Romanam Sedem auctum et frequens, viam straverat reformationi canonicae in Hispania, ita ut disciplina romana non graves invenerit difficultates in applicatione hispanica. Eo tempore litteratura tum canonica tum civilis in Hispania bene cognita erat apud cultiores.

II. — Quoad dispositionem, notanda est ratio Partitionum, iuxta quam Alphonsus, vestigiis Iustiniani Codicis insistens, totam primam partitionem canonico iuri destinavit. Cum vero forma externa proponendi iura valde differat tum a Codice Iustiniani, tum a Decretalibus, compilatores hispani saepe saepius doctrinam a commentatoribus repetentes eam redegerunt sententiis plus minusve brevibus. Textus vero hauserunt, eos multoties ad hispanicam linguam vertendo, sive ex Digestis, sive ex Codice Iustiniani, sive ex Decreto Gratiani vel ex Decretalibus, maxime vero ex apparatu quo praecipui tunc temporis canonistae titulos Decretalium ornaverunt.

III. — Fontes canonici Partitionum inveniuntur praecipue in commentatoribus et glossis canonistarum, tum Decreto Gratiani, tum Decretalibus. Ex interna consideratione quarundam institutionum, sc. iuris patronatus, successionis, electionis episcopalis, beneficiorum, praesertim matrimonii, novi auctores designantur, quorum opera certe usi sunt compilatores Partitionum Alphonsi Regis, et ostenditur solutio quaestionum cum solutionibus Decretalium Gregorii, omnino congrua.

Ius matrimoniale in Partidas et in Decretalibus

F. Regatillo

Universidad, Comillas

1. — Ex *Partidas* elucet unum matrimonium canonicum, coram Ecclesia celebratum, in Hispania legitimum atque validum, cum omnibus civilibus effectibus, habitum fuisse.

2. — Perfecta habetur concordia inter *Partidas* et Decretales in re matrimoniali, sive quoad substantiam: circa sponsalia, impedimenta, matrimonii naturam, condiciones, effectus etc. sive quoad formam: eadem divisio librorum.

3. — Ex hac perfecta concordia, quam novae res editis recentioribus legibus exturbarunt, illa secuta erat inter Ecclesiam et Statum plena harmonia quae non parum Hispaniae profuit.

*De Episcoporum electione
in iure concordatario tempore Decretalium.*

A. Perugini

Pont. Inst. Utriusque Iuris, Roma

Ex rerum historia constat tempore regiminis feudalis, praesertim IX et X saeculis, quasdam iuris notiones subversas fuisse, quae quidem ad discrimen attinent inter iurisdictionem spiritualem ac temporalem, inter institutionem canonicam et investituram laicalem.

Ea profecto aetate Episcopi, tamquam nobilissimi ac fidelissimi Regum vel Principum «vassalli», una cum potestate sacra etiam iura politica et iudiciaria in subditos plerumque exercebant; quare ipsorum Regum et Principum magnopere intererat, ut sedibus episcopalibus, intra fines proprii regni vel domini exstantibus, illi praeficerentur clerici, qui ipsis plane essent adiecti atque obnoxii. Hinc graves in eligendis Episcopis abusus et consequenter maxima Ecclesiae damna ex indignis electis saepe profluebant.

Etenim tunc temporis clerus et selectus populus iure Episcoporum eligendorum gaudebat; electi autem confirmatio et consecratio ad Metropolitanam spectabant. At vero Reges ac potentissimi Domini feudales, qua consilio, qua consensu, qua iussu, vi et minis, in Episcoporum electione saepenumero interveniebant. Praeterea, quum mos invaluit tradendi episcopalis feudi investituram «per anulum et baculum», sacrae ipsius auctoritatis symbola, pedentim visum est non esse amplius necessariam Metropolitanam confirmationem, ac si per illam laicalem investituram spiritualis quoque iurisdictionis conferretur; ex quo factum est, ut plures Episcopi electi, nondum confirmati, neque consecrati, iura episcopalia iam exercerent. Denique nonnulli Reges, posthabitis cleri et populi electionibus, ipsi per se Episcopos nominare coeperunt.

Contra huiusmodi abusus Romani Pontifices strenue pugnaverunt, praesertim in diuturno et acerrimo de investituris certamine; in quo, quum Ecclesiae libertatem in re tanti momenti fortiter vindicarent, effecerunt, ut iuris notiones de utraque potestate magis in dies evolverentur, et disciplina cano-

nica de beneficiorum provisione per Epistolas Decretales confirmaretur atque definiretur.

Eodem tempore ipsi Pontifices primas cum civili Auctoritate Conventiones inierunt, hac potissimum ratione inducti, ut, competentia utriusque potestatis declarata, libertas atque independentia Ecclesiae in suo orbe vindicaretur et concordia inter Sacerdotium et Imperium redintegraretur. Hoc sane elucet ex Concordatis initis ante Collectionem Decretalium Gregorii IX, inter quae praecipua sunt: Concordatum Wormatiense (1122); Conventio inter Hadrianum IV et Willelmum I, Siciliae Regem, Beneventi inita (1156); Pactum Tancredi, Regis Siciliae, cum Celestino III (1192); Conventiones Innocentii III cum Constantia (1198) et cum Frederico II (1212), Siciliae Regibus; Bulla Innocentii III, quae continet promissa Ioannis *sine terra*, Angliae Regis, cum suis Praelatis conventa (1215).

Gallicanismus Durandi Mimatensis iunioris

P. Torquebian

Institut Catholique, Toulouse

« Tractatus de modo concilii generalis celebrandi » a Guilelmo Durand, episcopo Mimatensi (a. 1296-1330), nepote ac successore Guilelmi Durand, qui « Speculator » dictus fuit, scriptus est de mandato Summi Pontificis Clementis V ad praeparandos labores concilii Viennensis 1311.

Auctor illius tractatus, quarundam allegationum de limitanda potestate Summorum Pontificum, et de relationibus Papam inter et Concilium generale, causa, a quibusdam ut adversarius sic dicti « systematis papalis », et ab aliis ut praecursor gallicanismi habitus est. Sed forsitan immerito.

Non est dubium quin quaedam assertiones auctoris nostri, e suo contextu separatae, interpretationem gallicanam accipere possint. Sed omnibus sedulo consideratis, Guilelmus Durand non tam adversarius plenitudinis potestatis Summi Pontificis aut praecursor gallicanismi, quam episcopus potestatis suae, verae aut fictae, custos diligentissimus, apparet.

*Impotentia sexualis functionalis viri
in Decretalibus Gregorii IX et in Neuropsychiatria*

F. Costantini

Pont. Inst. Utriusque Iuris, Roma

1. In Decretalibus distinguuntur: frigidi, cum impedimentum a natura procedit, maleficiati cum a maleficio provenit.

2. In neuropsychiatria hodierna distinguuntur variae morbi formae quae plures habent manifestationes et procedunt:

a) a morbis diversis, sicut adipositate, diabete, morbis exhaustivis etc.; aut a causis toxicis;

b) a morbis organicis nervi systematis;

c) a neurasthenia, sive congenita, sive acquisita;

d) a causis psychicis. Impotentia psychica potest esse absoluta vel relativa.

3. Impotentia temporaria et perpetua.

Ius romanum in documentis medii aevi polonici

H. Taubenschlag

Universytet Jagielonski, Krakow

Auctor asserit, iam in prima medietate saeculi XIII in Polonia apparere formularia italica (Formelbücher), uti formulare Rainerii Perusini: Ars notariae (ca. 1224-1234); Martini de Fano: Formularium (1232); Rolandini Passagerii: Summa artis notariae (1256), una cum institutionibus iuridicis per ipsa attestatis. Ad quas institutiones pertinebant: necessitas voluntatis non vitiosae quoad actus iuridicos (absque omni dolo et fraude, absque ulla coactione); dos, donatio ante nuptias, oppugnatio donationis ob ingratum animum et transgressio legitimae quantitatis; traditio romana, i. e. vacuum possessionem facere, constitutum possessorium, obligatio omnium bonorum; exceptio non numeratae pecuniae, responsabilitas ex titulo evictionis, qua responsabilitatis materialis, oppugnatio emptionis ob laesionem enormem, compromissum; denique testamentum, quarta ab intestato. Quae

institutiones tamen non omnes in praxim fuerunt deductae; nonnullae enim earum (ut v. g. exceptio non numeratae pecuniae, vel laesio enormis) nulla fruebantur vita extra libros et reducebantur ad ornamentum mere rhetoricum.

*Institutum consuetudinis in "Las Partidas",
cum doctrinis tam civilisticis quam canonisticis
earum epochae comparatum*

A. Tabera

Colegio Misioneros, Zafra

«*Las Partidas*» circa medietatem apparent saec. XIII, cum fervet renovatio studiorum iuridicorum et doctrinas canonicas et civiles recipiunt prout in Universitate praesertim Bononiensi tradebantur, ideo in maxima earum parte latent doctrinae glossatorum tam civilistarum quam canonistarum.

Haec relatio ad Congressum Internationalem hoc obiectum habet: Institutum, nempe, consuetudinis investigare in «*Las Partidas*» ut appareat quid in hac materia a doctrinis iuristarum receperint, siquidem huiusmodi Institutum typicum est et peropportunum ad hanc comparisonem instituentem, cum nonnisi saec. XIII perfecte vel fere eius scientifici characteres determinantur ope doctrinarum glossatorum, praesertim Azonis, Accursii, Papiensis, Goffredi de Trano, Hostiensis, etc., quorum opera etiam ut probabiles fontes «*Las Partidas*» habentur.

Ius Canonicum et Ius Civile in praxi italica saec. XIV

P. Vaccari

Università, Pavia

Graves controversiae atque gestus Ecclesiae contrarius ab italicis Municipiis assumptus exeunte saec. XIII evanescit, auferuntur statuta facta contra Ecclesiae libertatem atque relationes inter auctoritatem civilem et ecclesiasticam student alteram ab altera sphaeram distinguere easque componere.

His novis condicionibus statuta paullatim in variis regionibus ad uni-

tatem reducuntur e. g. in Langobardia, atque ius canonicum recipiunt eique committunt quasdam vitae iuridicae partes ordinandas.

Studium huius interventus iuris canonici magni est momenti ad illustrandam hanc partem historiae iuris civilis italici.

Mos Italicus et mos Gallicus in Iure Romano interpretando

S. Riccobono

Pont. Inst. Utriusque Iuris, R. Università, Roma

Disputatur de discrepantia methodi rationisque iuris romani interpretandi docendique, quae fuit inter Glossatores et iuris interpretes Gallos, qui saeculo XVI floruerunt.

Licet nobis hodie refellere illorum sententiam, qui conspicuam famam et summum honorem iuris scriptoribus Gallis tribuunt, rati eos veros fuisse interpretes fontium iuris multoque praestitisse Italis doctoribus, qui mali interpretes et barbari existimantur, cum propter absolutam ignorance rerum historicarum tum propter futes et interdum ridiculas inventiones in legibus explicandis ordinandisque.

Contra hanc sententiam quam omnes quasi verissimam etiam nunc tuentur, liceat nobis contendere Italos Doctores fuisse interpretes omni tempore insuperatos, quamquam hi innumeris coniecturis dissensionibusque concordantiam discordantium legum adsequi conati sunt. Hoc enim facile colligitur ex nova fontium iuris perscrutatione critica ratione instituta variisque subsidiis instructa; quae ostendit interpretationes Italarum semper optatam metam contigisse, quoquomodo nodis legum expeditis. Quod et ipse Cuiacius nos docet, cum fateatur ex variis interpretationibus doctorum bononiensium unam semper veram se invenisse; idque praeterea ex doctrinis scriptorum omnium saeculi XVI apparet, qui ubi veritatem agnoverunt semper ex interpretationibus Italarum omnino pendent. Ceterum Galli doctores ad ius antiquum animum intenderunt idque in lucem prodiderunt, idcircoque ius Iustinianicum parum intellexerunt vel potius neglexerunt.

Hoc ergo inter Italos et Gallos interpretes interest: quod diverso ingenio diversaque ratione iuris fontibus usi sunt: Itali ad cognoscendum ius a Iustiniano Imperatore confirmatum, Galli ad restituendam, ut ita dicam, iuris scientiam a veteribus romanis iurisconsultis fundatam, falso existimantes

Iustinianum eam intactam in suos libros transferre voluisse, receptamque habuisse. Quo evenit, ut quae in legibus Iustiniani novata cognovissent, incredibili ac inexcusabili ignorantia motus progredientis iuris temere relecerint, quae vero non detexissent iuris praeceptis communis in scriptis iurisconsultorum traditis quoquomodo subiecerint.

Haec ergo dissimilitudo inter hanc et illam disciplinam esse videtur, ut credamus Glossatores in interpretatione legum praestitisse, Galli scriptores vero in pertractandis criticis fontibus iuris et in amplificandis omni modo et genere studiis fontium iuris. Tamen quae de meritis haud exiguis, in rebus historicis, horum scriptorum dixi, cum grano salis accipienda sunt, nam vix credi potest quam saepe in existimatione iuris Iustiniani decepti sint.

Denique iudicium Alberici Gentilis adversus Humanistas aliquantum in melius immutandum est, qui certe nimia asperitate nimiaque acerbitate eos contempsit derisitque; quod vero attinet ad ipsam rem nova fontium iuris perscrutatione nostris temporibus in dies verissimum comprobatur.

*De metodo ac ratione a Cuiacio eiusque discipulis
ad interpretandas constitutiones Imperatorum romanorum
et decretales Pontificum applicatis*

M. Beulos

Université, Paris

Vulgo dicuntur Cuiacius eiusque discipuli iuri romano studuisse non tamquam iuri etiam tum vigenti, sed tamquam « rationi » ac doctrinae iuridicae; methodus igitur studii illorum iuris peritorum ad ius antiquum, non ad ius tunc vigens, tantum pertinere.

At in elencho operum horum eruditorum legi potest illos multa opera etiam de iure canonico, quod ius eo tempore valebat, secundum eandem rationem scripsisse.

Reiator ostendere in animo habet methodum ac viam docendi quam Cuiacius ipse eiusque discipuli (Franciscus et Petrus Pithoeus, Loiseilus, et multi alii) secuti sunt latiores esse quam communiter credatur et ad commentaria de iure romano, de iure canonico, de iure consuetudinario, sicut ad opera proprie historica, applicari posse.

Methodus et ratio studendi, quae « humanisticae » vocari possunt — ut novo inauditoque vocabulo utar — praecipue sunt hae:

Studium fragmentorum diversorum in verbis ipsis linguaque.

Commentarium horum fragmentorum cum auxilio reliquiarum iuris anterioris; sic intellegi potest cur illi iurisperiti ius antiquum Romanorum (legem XII tab., Leges regias), et ius anteiustinianum restituere conati sint; eodem modo commentaverunt decretales Pontificum cum auxilio canonum antiquorum conciliorum et decretalium Pontificum saeculorum primorum (Hic motus animi ad doctrinam « Gallicam » dictam multos ex his iurisperitis induxit).

De iure Romano in Helvetiae Pagis linguae latinae saeculis XVI-XVIII

H. Legras

Université, Friburg

Ius Romanum communiter receptum non est ut ius subsidiarium in Helvetia, si pauca quaedam excipiantur quod attinet ad Pagum Basileensem et Ticinensem, necnon ad Territorium Dioecesis Sedunensis. Huius ratio praecipua fuit Helvetiae dissidium de re publica cum Imperio, quod aestimabatur in locum Imperii Romani suffectum esse; at praeterea id effecerunt etiam forma popularis Tribunalium et defectus Universitatum studiorum in Helvetia.

Quamvis autem in publicis fontibus iuris helvetici nulla vis recognoscatur iuri romano scripto, nihilominus eiusdem ratio in praxi habetur circa plura instituta iuris privati; quod scriptis quoque Doctorum communius redditur et confirmatur.

In libris in quibus consuetudines continentur Pagi Valdensis, saec. XVI, et Pagi Friburgensis, saec. XVII, evidenter apparet Ius Romanum vim exseruisse:

1) Circa methodum et logicam iuridicam; circa ordinem seu connectionem et nomina institutorum.

2) Circa actuum sollemnia (in usu notariorum).

3) Circa ius familiae: de tutela; de minore aetate 25 annorum; de senatusconsulto Velleiano; de pecuniis.

4) Circa ius successionum: de testamento; de codicillis; de fidei commissis; de heredibus ab intestato; de successione in locum parentis; de portione legitima; de aditione hereditatis.

5) Circa constituendam hypothecam romanam et clausulam de obligatione bonorum (seu de distractione rerum immobilium); de hypothecis tacite contractis.

6) Circa modos quibus conventiones contrahuntur (de vi solius consensus) et obligationes valent; de privilegio inter personales actiones.

7) Circa praescriptionem tum acquisitivam tum extinctivam.

De his singulis peculiaris expositio fiet et textus praecipui accuratius excutientur.

*De antiquo nunc deperdito manuscripto a Loiselio reperto
et a Cuiacio edito*

E. Volterra

Università, Padova

De antiquo nunc deperdito manuscripto Consultationis veteris cuiusdam iurisconsulti saeculo XVI ab Antonio Loiselio reperto et a Cuiacio edito disseritur. De loco ubi repertum fuisse praesumitur, coniectura exponitur.

Utrumque ius - Controversiae et themata

E. Carusi

Pont. Institutum Utriusque Iuris, R. Università, Roma

Agitur de compendiarie expositione circa praecipuas controversias quae in doctrina agitantur, relate ad ius commune latiore sensu. Accedunt themata investigationum.

Expositio tota binis sententiis concluditur. Prior, quae utrumque ius uti unitatem intelligit. Altera vero, quae Christianismum uti evolutionis historicae fontem et centrum respicit; unde sequitur, iuxta et praeter fata utriusque iuris in Europa, Ecclesiam trahere proximi Orientis populos.

Argumentum adhaeret nostrae Congressionis naturae; de qua disserui

in meo scripto, quod in recentiore fasciculo Commentarii « Apollinaris » prostat (fasc. apr.-iun. 1934).

Expositio bipartita est. Prior pars respicit controversias (problemi). Altera respicit themata (prospettive).

In prima parte disputatur: de utriusque iuris significatione; de significatione iuris communis; de relationibus cum Oriente.

In altera parte: de historia dogmatica; de relationibus cum iure islamico; de quodam auspiciato novo ortu iuris communis in Europa.

Tandem ad conclusionem devenimus.

De utriusque iuris studio saec. XIII

B. Kurtscheid

Pont. Inst. Utriusque Iuris, Ateneo Antoniano, Roma

Momentum saeculi XIII pro studio iuris canonici et civilis.

Scholae principales iuris saec. XIII florentes.

Professorum ordines, electio, remuneratio.

Lectiones ordinariae, extraordinariae, repetitiones, disputationes.

Methodus, tempus, horae lectionum, vacationes.

Studentium formatio praevia, curriculum studii iuridici.

Gradus, promotionis modus et effectus.

Utriusque iuris unio, laurea in utroque iure.

Restrictio studii iuris civilis Romani pro clericis.

De Utroque Iure in Iure Communi Pontificio

I. Ermini

Università, Perugia

Iuris communis nomen et sententia, ex fontibus Romani iuris promanantia, maximi momenti medi aevi inferiore aetate habita sunt et vulgo diffusa, praesertim condicionis reipublicae huius aetatis causa. — Iuris communis sententia refertur ad ius, quod in limitibus continetur alicuius regionis aut coetus hominum de quibus agitur, ut ius naturale, ius gentium, ius civile Romanum. — Ius statutarium et ius monarchicum. — Prope et aequae cum

iure civili Romano ius canonicum pro communi adhibetur. — Ius commune antonomastice perceptum est utrumque ius, minime vero ius civile Romanorum tantum. — Vincula et discrimina inter ius Romanum et canonicum. — Questio de connexionibus utriusque iuris et leges ad rationes unius et alterius iuris terminandas. — De peculiari condicione terrarum sub potestate Ecclesiae Romanae constitutarum quod attinet ad condicionem terrarum Imperii: in terris Ecclesiae canones praevalet legibus etiam in meris temporalibus. — Exceptiones et modi huic iuris normae adferendi.

Ius Commune Pontificium: natura et limites

F. Calasso

Università, Modena

Iuris Communis historica notiois progressio definitur et, diversarum iuris romani fortunarum mentione Romanae Ecclesiae in politica (quam vocant) iniecta, Iuris Communis Pontificii notiois origo describitur, eiusdemque aetates discernuntur.

De ignorantia legis ex utroque iure

S. Romani

Pont. Inst. Utriusque Iuris, Roma

1. — Lex rite promulgata et publicata, vacatione consumpta, obligat eo ipso, omnes. Id autem quaeritur num ignorantes quoque, aut errantes aut dubitantes.

2. — Res non plane ignota Romanis, qui tamen libentius de re disputare videntur ubi de iuris ignorantia aut errore quod ad certa quaedam facta negotiave iuridica quam generatim quod ad legis vim atque virtutem elidendam; quamquam Codex repetitae praelectionis huic quoque generaliori exigentiae systematicae accedere videtur.

Expenduntur itaque fontes romani, et concluditur apud Romanos non viguisse principium illud generale, quo ignorantia ponitur inter causas a lege excusantes, ut si vis legis elidatur ignorantia iuris.

3. — Iam autem apud byzantinos atque dein magis magisque apud glos-

satores et commentatores quaedam ex iis quae Romani de certa tantum quaedam specie dixerant, evehi coepta sunt ad generalia principia; atque si Cuiacius adhuc adhaerere, nec sine incommodo, videtur fontibus; Donellus exprimit generale quoddam systema de iuris et facti ignorantia quod observandum esset « in omni parte iuris »; Strykius autem persentit id alienum esse a rerum usu, ideoque licet generale illud principium oppugnare atque evertere non audeat, plura tamen excipit atque surripit, saltem ad aequitatem servandam.

4. — Canonistae antiquiores, qui veluti e theologorum agmine ad ius divertunt, theologis adhaerent nec satis, initio saltem, distinguunt inter legis vim moralem atque iuridicam, nec semper satis distinguunt inter iuris ignorantiam ac facti, idcirco libenter indulgent ignorantia aut erranti, dum ne ignorantia ipsa graviter sit culpanda; sollemne tamen eisdem est nullam ignorantiam excusare a lege irritante aut ab inhabilitate, in iure demum poenali quandoque elidere quandoque minuere, quandoque etiam augere tenent dolum atque imputabilitatem. Usurpant autem et hi, nec forte semper rectissime, principia illa iuris romani quae iam late obtinuerunt in iure communi. Adeo alterum semper ius alteri amice adhaerebat.

5. — In novissimo iure civili res non ubique eadem procedit, nam quidam CC. aperte iubent iuris ignorantiam non excusare, alii plane silent; doctores vero atque iurisprudencia modo adhaeret mordicus principio illi, modo ab eodem recedit exceptiones complures effingens, modo plane illud oppugnat, verbis saltem, uti absurdum iuridicum. Expenduntur quidam novissimi fontes e legibus atque e doctrina decerpti.

6. — Novissima adumbratur doctrina canonica, quae scite distinguit inter dubium, ignorantiam atque errorem aut iuris aut facti, tum inter leges poenales, irritantes vel inhabilitantes ac ceteras leges quae simpliciter disciplinares dicuntur, ab illis excusare dicitur ignorantia invincibilis, ab istis nulla, ab his num et quaenam siletur, et merito prorsus; sed quandonam in quibusdam negotiis iuridicis noceat ignorantia aut error, dicitur suis cuiusque locis.

7. — Nostram quaestionem indirecte tantum afficiunt quae hodie disputantur, maxime apud germanicos civilistas de iure apparente aut de apparentia iuris, qua ex doctrina ius non rerum veritate sed externa fucataque specie niti debet, ut si quis simulate tecum contraxerit, nihilominus omnia iura sibi quaesiverit, nec tibi fas sit simulato contractui detrectare quidquam, nec nullitatis illum accusare. Peregrina quidem doctrina quae procul aberrat e fontibus iuris, procul a vita, procul a rerum usu, quam optimo iure cordatiores oppugnant atque explodunt.

8. — Conclusiones subnectuntur:

- a) Probe expendantur dubium, ignorantia et error;
 - b) Probe distinguatur obligatio moralis a iuridica, haec autem distinguatur utrum sit poenalis an irritans vel inhabilitans, an simpliciter dispositiva;
 - c) Scite distinguatur inter ignorantiam iuris et ignorantiam facti; utraque apte definienda;
 - d) in ignorantia iuris rursus distinguatur ignorantia *legis* a ceteris quibuslibet;
 - e) de hac quaeri potest in parte generali non num *excuset* ab observanda lege sed num *elidat* vim legis;
 - f) alia quaestio est de efficacia ignorantiae aut erroris tum iuris cum facti in consensum paciscendo exprimendum; qua in re adhaerendum fontibus iuris tum romani cum praesertim canonici quod penitus exploravit consensum; simulque abstinendum a peregrinis novissimis doctrinis, quibus foede subvenitur, specie rerum prae rebus ipsis praelata, fraudibus dolisque omne genus;
 - g) itaque acquirenda cumprimis in iure honestas, bona fides, quibus fovetur pax, aluntur civium civitatumque commercia, firmatur nostra cuiusque privata publicaue res, vincitur tandem vinculo quodam nobilissimo atque sanctissimo populorum consortio.
9. — et vota:
- a) Ut fidentius atque studiosius dent operam civilistae iuri canonico, canonistae civili, moralistae autem utrique explorando, nec veteri tantum atque historico, sed et novissimo atque vigenti;
 - b) Ut pro viribus eurent omnes ad eam quae fieri possit unitatem componenda iura;
 - c) Ut ad hoc nostrum P. Institutum Utriusque Iuris, quo undique alumni conveniunt studiorum causa, undique Magistri benevole sua quisque eurent opera transmittenda;
 - d) Ut redeant saltem doctiores ad unam eam linguam latinam qua utrumque ius late populos ad cultiorem humanioremque vitam eduxit et aluit, ad concordem unitatem quandam eminentiorem animus omnium disposuit atque composuit, disponet atque reducat.

*Defectus famae secundum ius civile romanum
et germanicum et canonicum*

I. Haring

Universität, Graz

Apud omnes gentes bona fama i. e. aestimatio hominis magni valoris est. Quae aestimatio fundamentum habet vel in honestate vitae vel in qualitibus externis hominis e. g. in statu vel dignitate vel scientia hominis.

Bona aestimatio homini necessaria est, incitat ad bene agendum et retrahit a male agendo, est conditio necessaria ad labores in vita sociali agendos.

Reapse defectus famae iam in iure populorum antiquorum notatur.

Apud Romanos iam in lege XII tabul. minutio honoris, consistens in incapacitate testimonii et in incapacitate testamentum faciendi affertur. Postea censores (nota censoria) et praetores (edicto suo) minutionem famae terminaverunt. Tempore Iustiniano duplex infamia distinguebatur: *mediata*, fundata in sententia condemnatoria propter quaedam delicta et *immediata* propter quaedam facta vel delicta etiam non intercedente sententia condemnatoria e. g. propter expulsionem ab exercitu, propter bigamiam. Praeterea invenitur in iure romano turpitudine consistens in famae defectu propter turpem vitam.

In iure antiquo germanico invenitur «Friedlosigkeit, Echtlosigkeit» exclusio a pace, consistens in denegatione communionis et pacis. Homo tali nota signatus, est hostis populi, qui a quovis populi occidi potest.

Alia honoris diminutio erat «Rechtlosigkeit» i. e. incapacitas ad actus legitimos propter sententiam condemnatoriam in re capitali (Hals und Hand) vel ad poenas mutilationis (Haut und Haar).

Alius honoris defectus est «Ehrlosigkeit», contractus propter sententiam condemnatoriam, fundatam in violatione fidei datae «Anrühigkeit» est turpitudine quaedam fundata in exercitio muneris ignominiosi vel in statu ignominioso (defectus natalium legitimorum). Tali infamia notati a quibusdam associationibus (Zunft) et a statu clericali arcebantur.

Iure Romano recepto infamia mediata et immediata distinguebatur.

In iure canonico iam ab initio, saltem ut quis ad episcopatum admitteretur, necesse erat, ut esset irreprehensibilis; oportuit bonum testimonium habere ab iis, qui foris sunt, ut non in opprobrium incidat et in laqueum diaboli. I Tim. 3, 2, 7.

Oportet episcopum sine crimine esse.

In canonibus Apostolorum, e. g. can. 13, 14, 17, qui disciplinam priorum saeculorum repraesentant, homines propter quaedam scelera ignominosa a clero arcentur.

Vestigia doctrinae de infamia formali inveniuntur in Concilio Tolentino XIII: a. 683 cap. 7 (ignobilitati perpetuae mancipatus); XVII, c. 4 perenni infamia denotatus). BRUNS, I 341 c. 387.

A saeculo nono saepius infamia in fontibus iuris canonici commemoratur: cfr. Decretum Grat. c. 2, § 3, c. III, qu. 7; dictum Gratiani ad c. 7, c. II, qu. 2.

Ante codicem iuris canonici distinguebatur infamia facti et infamia iuris. Infamia facti vita ignominiosa contrahitur, infamia iuris coniuncta erat cum infamia civili vel cum quibusdam delictis sive ipso facto, sive sententia iudicis intercedente.

Ius vigens inter infamiam iuris et facti distinguit.

Infamia iuris vel immediate cum quibusdam delictis coniuncta est vel sententia iudicis declarari potest.

Infamia facti in amissione bonae famae apud fideles probos et graves consistit et quidem ob patratum delictum vel ob pravos mores de quo iudicium ad Ordinarium spectat. Nulla infamia afficit delinquentis consanguineos (c. 2293). Iure vigente nulla infamia sine culpa. Casus in quibus contrarium esse videtur cfr. c. 984 n. 1 defectus natalium legitimorum; arceantur ab episcopatu et cardinalatu filii legitimati tantum, sunt irregularitates, quae sine respectu ad defectum famae existunt.

Sequelae infamiae enumerantur in c. 2294.

Cf. s. v. *infamia* in Indice anal. alphab. C. I. C.

*Quomodo impedimenta matrimonialia iuris civilis
in ius canonicum influxerint*

P. Schmitz

Institutum S. Gabriclis, Mödling bei Wien

I. — Unde in genere impedimenta matrimonialia in ius canonicum introducta fuerint?

I. Quaenam sit natura earum circumstantiarum, quae matrimonii impedimenta declarata sint?

2. quibusdam fontibus iuridicis impedimenta matrimonii in ius canonicum profluxerint?

3. Quisnam ea veluti impedimenta matrimonialia statuere possit?

4. Utrum nostra quoque aetate nova impedimenta necne introduci possint?

II. — Utrum et qualia impedimenta matrimonialia iuris civilis ab Ecclesia recepta fuerint? — *de lege lata*.

1. Qualia sint haec impedimenta matrimonialia brevis conspectus historicus.

2. Quo speciali modo Ecclesia impedimenta iuris civilis susceperit?

Qua de causa,

Utrum tollerando solummodo seu via consuetudinaria,

An expresse approbando,

An adaptando et evolvendo?

3. Quomodo Ecclesia nostra quoque aetate respectum habeat impedimentorum iuris civilis?

III. — Utrum nova impedimenta ut inserantur in ius matrimoniale canonicum sana ratione suaderi possit necne? — *de lege ferenda*.

1. Numerum impedimentorum matrimonialium sufficere non amplius videri neque in iure civili neque in iure canonico asseritur et probari conatur.

2. Qualia nova impedimenta matrimonialia forsitan introduci possint:

Circumstantiae matrimonii christiani naturae indolique summopere adversae temporibus recenter elapsis scientia et experientia detectae.

Quibus in introducendis tamquam matrimonii impedimentis utrum Ecclesia primas partes Statui civili relinquere possit necne, nova impedimenta a legitima auctoritate civili statuta ad minus tollerando?

3. Quomodo haec assertio cum doctrina Pii XI in Encyclica « Casti connubii » proposita concordet demonstratur.

4. Speciale et grave sane officium canonistarum et moralistarum catholicorum circa hanc rem.

Quid e iure canonico in leges processuales civiles receptum sit

H. Schima

Universität, Wien

I. — De ratione morali iuris processus civilis. Ecclesiam esse magistram.

II. — Quanti momenti sit processus iuris canonici in historia et cultura humani generis.

III. — Quae rationes seu principia et instituta ex iure processuali canonico in ius saeculare recepta sint; quomodo conservata et mutata sint, exemplis illustratur.

IV. — Quae mutuae rationes inter processum civilem et canonicum intercedant;

quomodo tribunalia et ecclesiae et civitatum competentiam inter se, praecipue in causis matrimonialibus partita sint.

V. — In quantum hodiernus processus civitatum ad ius processuale Codicis Iuris Canonici accomodari possit.

Relationes inter Ius Romanum et Codicem Benedicti XV

Ch. Boucaud

Facultés Catholiques, Lyon

PROOEMIUM. — Iuris Romani perennitas in Ecclesia Romana.

I^a PARS. — *Quo processu de Iure Romano Ius Canonicum historice duxerit ortum.*

1. Genesis romana Canonici Iuris:

a) Episcopales audientiae;

b) Influxus generalis idearum christianarum et christianae mentis in codices ultimos romani iuris.

2. Ius Romanum ut « lex personalis » Ecclesiae Romanae apud civitates germanicas Aevi Medii.

3. Iuris Canonici propria et progrediens aedificatio, a primis maceris in verticem Codicis Benedictini.

II^a PARS. — *Praecipuae similitudines inter Ius Romanum et Ius Canonicum iuxta Codicem Benedicti XV.*

1. Mutui conceptio.

2. Supplementum iurisdictionis.

3. Distinctio temporis utilis et temporis continui.

4. Distinctio actionis exceptionisque.

5. Litis contestatio.

6. Restitutio in integrum.

7. Ius authentice interpretandi, et responsa prudentium.

III^a PARS. — *Auctoritatis conceptio iuxta Ius Romanum et Ius Christianorum.*

1. Quo sensu tecnico auctoritatem intelligebant iurisperiti romani.

2. Quo sensu morali canonistae, iuxta evangelium Christi.

CONCLUSIO. — Roma, caput Ecclesiae, et nova Ierusalem; et Vaticana Civitas forum hodiernum romani iuris.

Professio in manus

I. Zeiger

Pont. Università Gregoriana, Roma

Procedens ex cap. 4 *Consuluit*, libri IV Decret. Gregorii IX tit. 6 *Qui clerici vel voventes*, auctor professionis religiosae sollemnitates et formas historice ac iuridice discutere intendit, inquirens in earum structuram, originem, valorem iuridicum. Unde diversarum religionum natura iuridica historice illustratur.

Ex tribus formis, quae praecipue in usu sunt, professionem *in manus* tractandam suscipit, relictis professione *super altare* et illa *super hostiam* alio loco tractatis vel tractandis.

I) De professione in manus: quid sit, quomodo celebretur, in quibus religionibus emittatur.

II) De eius origine historica et relatione ad instituta iuris populorum Germanicorum alti medii aevi.

III) De habitudine iuridica voventis ad Deum et ad monasterium atque viceversa, quatenus hac professionis forma exprimitur.

De persona morali seu iuridica schematica propositio

A. Vermeersch

Pont. Università Gregoriana, Roma

Persona moralis videtur diu ignota fuisse, ita ut celebretur ut inventum posteriorum saeculorum; existit tamen ex quo societas quaedam conflatur.

Videtur difficilis conceptus: quot sententiae circumferuntur; et tamen planissimam se offert intellectui.

Est sibi existens et tamen est propter personas físicas.

Ipsa non est periculosa; periculosa et maxime damnosa est falsa eius ratio.

*Potestas publica et potestas privata in iure romano
et in iure canonico comparate*

A. Larraona

Pont. Inst. Utriusque Iuris, Roma

1. *Ius publicum ac publica potestas* in iure romano: origo, evolutio, perfectio institutorum iuris publici; elaboratio doctrinalis conceptus a iure classico ad ius iustinianum; aliquae elegantes conceptus ad casus applicationes.

2. *Potestas publica et privata* in iure canonico: enucleatio conceptus et diversorum graduum recensio quos *publica potestas* in iure canonico obtinuit.

3. *Potestas iurisdictionis* et potestas *publica* quam *dominativam* vulgo nuncupant in Codice Iuris Canonici. — Qua ratione et in quibus hae potestates differant, in quibus autem convenient. Criteria ad canonum interpretationem inde vota.

4. *Exempla praecipua potestatis dominativae publicae* in Codice Iuris Canonici (Religiones non exemptae-Paroeciae). Figurae diversae, et ad rem nostram momentosae, quas potestas dominativa publica in his duobus institutis induit.

De extensione c. 209 ad potestatem dominativam

I Creusen

Collège théologique, Louvain

Vi can. 209, ubi est error communis, Ecclesia iurisdictionem cum in foro externo tum in interno supplet. Quod principium e l. *Barbarius*, 3, de off. praet., ff. I, 14 desumptum est. Quaeritur num vi can. 20 ad potestatem dominativam extendendum sit, cum actus huius potestatis sine hac supplementatione vi sua iuridica destituantur, i. e. re vera nulli sint (v. g. admissio ad noviciatum, professio, dimissio, etc.).

Affirmative respondendum videtur, quia: 1° necessarium est providere validitati eorum actuum. Quare locus est applicando can. 20; 2° omnes canonistae illud principium ad munus testis authorizabilis extenderunt, sc. ad testem authorizabilem matrimonii; 3° Cum iurisperiti romani, tum canonistae idem principium ad actus iuridicos extenderunt, quorum validitas in auctore actus qualitatem iuridicam vel statum certum exigit, quae errore communi adesse censentur dum revera absunt; 4° Salmanticenses (tr. 17, c. 3, n. 71) hanc thesim explicite proponunt, etsi male ea in casu uti videntur.

Cfr. VERMEERSCH-CREUSEN, *Epitome iuris canonici*, I (5^a ed.) n. 31.

Conceptus solemnitate votorum in Decretalibus et iure Codicis

F. X. D'Ambrosio

Pont. Inst. Utriusque Iuris, Roma

1. — Origo solemnitate votorum in fontibus.
2. — Doctrina Theologorum et iurisperitorum circa solemnitate votorum.
3. — Mens Ecclesiae circa solemnitate votorum tempore praecedente Codicem Iuris Canonici.
4. — Mens Ecclesiae circa solemnitate votorum in Codice Iuris Canonici.
5. — Conclusio admittenda: Solemnitas votorum in sua origine, in sensu Ecclesiae ante Codicem et in Codice Iuris Canonici in eo reponitur ut ea sit formaliter iuris Ecclesiastici.

Votum simplex in fontibus et in doctrina

S. Goyeneche

Pont. Athenaeum Seminarii Romani

1. — Voti natura.
2. — Votum simplex prout a solemnibus distinguitur.
3. — Vera ratio solemnitatis et simplicitatis votorum.
4. — Valor iuridicus voti simplicis.
5. — Votum simplex et modernae religiones.
6. — Collatio iuridica solemnibus votum inter et simplex.
7. — Conclusiones in ordine ad statum religiosum.

*De privilegio immunitatis Clericorum
quoad exemptionem ab oneribus realibus*

A. Bertola

Università, Torino

Can. 121 codicis iur. can. (« Clerici omnes a servitio militari, a muneribus et publicis civilibus officiis a statu clericali alienis immunes sunt ») silet omnino, ut patet, non solum de immunitate reali, seu bona ecclesiastica afficiente, sed etiam de illa immunitatis personalis parte qua clerici a vectigalibus personalibus eximuntur.

Quaesitum est an codex ita tacite huic antiquo privilegio renuntiare voluerit. Quidam negaverunt, existimantes codicem in subiecta materia vetus ius non immutasse.

Contra, hac relatione, perspecta natura et origine huius privilegii, nobis videtur demonstrari posse silentium codicis abrogationem privilegii inducere.

Id est codex renuntiavit immunitati quae in desuetudinem abierat fere ubique, et sic transiit in ius commune disciplina quae ante codicem recepta erat tamquam ius particulare per concordata inita cum pluribus nationibus.

De iuris remediis contra leges latas

K. Hofmann

Universität, München

In iure canonico auctores docent iuris remedia existere non solum contra potestatis administrativae, executivae, iudicariae actus, sed etiam contra leges latas, nempe:

1° supplicationem subditorum ad Superiorem legislatoris et supplicationem ad legislatorem ipsum, praesertim ad Summum Legislatorem,

2° Episcoporum remonstrationem contra leges a Summo Pontifice latas.

His iuris remediis tribuunt auctores tam ante quam post Codicem Iuris Canonici effectum suspensivum. Sed haec constructio iuridica sustineri non posse videtur ex variis causis, praesertim cum in casu supplicationis desit subiectum idoneum supplicandi et maior fiat incertitudo iuridica. Rectius dicitur, supplicationem ex iustis et legitimis causis interpositam non suspendere vim legis, sed tollere imputabilitatem eorum, qui transgrediuntur legem intolerabilem vel nimis molestam.

Episcoporum remonstrationis, ut aiunt, ius exordium cepit ex illo capite 5. X de rescriptis (I 3). Etsi in Codice Iuris Canonici non continetur, auctores tamen tribuunt etiam huic remedio effectum suspensivum, quamquam propter vacationem legum a Romano Pontifice latarum non sit maioris momenti practici. Sed etiam in hoc casu effectus suspensivus videtur non posse sustineri, quia legum auctoritati ac maiestati obtrectat. Episcopus immo remonstrans defendit tamquam legitimus iuridici status sui territorii custos ius vigens particulare, cui lex generalis regulariter non vult derogare. Remonstratione ergo non suspenditur lex generalis, sed declaratur iuri legitimo particulari non offensiva.

Codicis Iuris Canonici schemata de processibus

F. Roberti

Pont. Inst. Utriusque Iuris, Roma

Litteris datis die 20 octobris 1933 ab E.mo Cardinali Secretario Status ad R.mum Praesidem Pont. Instituti Utriusque Iuris, Summus Pontifex licentiam eidem Pontificio Instituto concedere dignatus est ut schemata atque studia quae ad Codicem digerendum elaborata sunt, cura professorum ederentur in vulgus.

Quae publicatio quanti momenti ad scientiae iuridicae profectum nec non ad rectam ipsius Codicis intelligentiam futura sit, nemo est qui non videat. Quapropter Congressus Iuridicus ad quem magis magisque fovendum Sanctitas Sua optatam licentiam indulgere voluit, debitas gratias Beatissimo Patri absque dubio ex animo reddet quam plurimas.

Huius autem editionis primum specimen exhibetur volumen *De processibus*.

Liber quartus, qui antea quinto loro fuerat collocatus, a speciali Commissionis sectione praeside R.mo postea E.mo Cardinali De Lai primo (a. 1907) elaboratus est.

Commissio praecipuos fontes exemplares habuit praeter translaticium ius canonicum stilo Curiae perpolitum et ius commune quondam vigen in Statu Pontificio, tres hodiernos typos legum processualium sc. hispanicum, gallicum cum italico, germanicum cum austriaco.

Quapropter tria priora schemata respective exhibent processum scriptum, mixtum, oralem.

Ex tribus schematibus elementa assumuntur ad conficiendum quartum (a. 1908) qui iterum recognitum fit quintum (a. 1909).

Quintum schema E.mis Cardinalibus Codificatoribus exhibitum est atque iterum emendatum genuit sextum (1910).

Sextum iudicio Episcoporum nec non Superiorum Religiosorum subiectum est (1913).

Collatis undique animadversionibus iisque mature perpensis a Pont. Commissione maxime vero ab E.mo Cardinali GASPARRI qui denique omnia rimavit novum schema (septimum) confectum est quod Beatissimo Patri Benedicto XV f. r. exhibitum ac tantisper iterum expolitum tandem Codicis liber quartus factus est.

Quantam ex comparatione inter varia schemata omnes quaestiones de iure processuali lucem accipiant non est quod dicatur. Quod exemplis illustrabitur.

De relationibus inter potestatem iudicalem et administrativam in iure canonico, praesertim attentis decisionibus S. Romanae Rotae post reformationem Pii X editis

C. Bernardini

Pont. Inst. Utriusque Iuris, Roma

INTRODUCTIO. — Status quaestionum in doctrina iuris canonici. Quantum urgeat harum quaestionum solutio practicis exemplis illustratur. Traditur doctrina eorum qui tenent subiectam distinctionem non esse intelligendam nisi ratione habita ad formam procedendi.

CAPUT PRIMUM. — Potestas iudiciaria et administrativa iure canonico non differunt tantum ratione formae; sunt enim controversiae natura sua iudiciales et controversiae natura sua administrativae.

Possunt tamen Congregationes Romanae administrativo tramite pertractare negotia natura sua iudicialia.

Perpenditur fundamentum huius Congregationum potestatis quod non est in consensu partium sicut nonnulli putare videntur.

Quaeritur utrum activitas Congregationum in videndis causis natura sua iudicialibus sit iurisdictio specialis vel potius administrativa. Quaeritur utrum iure canonico sit recipienda distinctio inter potestatem iudicalem ordinariam et specialem. Quaeritur utrum facultas seu potestas Congregationum videndi causas natura sua iudiciales spectet et competat etiam aliis organis administrativis ecclesiasticis.

De conflictu inter organa iudicialia et administrativa. Tribunal conflictuum. De conflictu post rem iudicatam.

Congregationes et Tribunal Apostolicae Signaturae possunt Tribunalibus remittere negotia natura sua administrativa iudicialiter pertractanda; natura potestatis Tribunalium in his causis decernendis. Quaeritur utrum Episcopus possit consentire ut negotium natura sua administrativum iudiciali tramite agatur.

CAPUT ALTERUM. — Ratio distinctionis inter potestatem administrativam et iudicalem. Quanam sunt causae natura sua iudiciales. Actio admi-

nistrativa coarctatur iure subiectivo privatorum. Tribunalia cognoscere possunt de laesione privati iuris ex actu administrativo. Decisiones S. Romanae Rotae quae videntur hoc principium admittere. Decisiones quae videntur ipsum denegare.

Quaeritur utrum potestas iudicialis possit nullitatem actus administrativi declarare. De appellatione extraiudiciali.

Declaratio Commissionis ad codicem diei 22 maii 1922; de ambitu huius declarationis.

De confirmatione utili vel inutili et de aperitione oris.

De poenis quae irrogari possunt per praeceptum.

De processibus administrativis specialibus.

De decreto *ad dirimendas*, de iure episcoporum in quaestionibus de praecedentia et finium parochialium.

De attentato lite pendente quod constet in actu administrativo.

CAPUT TERTIUM. — Actio privatorum propter damna sibi illata ab officialibus ecclesiasticis. Actio contra iudices. Condiciones ut actio damnorum contra administratores exsercere possit. Ius subiectivum violatum (de remotione a beneficio amovibili). De confirmatione specifica a Summo Pontifice et de aperitione oris.

De gradu culpae administratoris. Utrum sufficiat culpa levissima vel potius culpa levis requiratur.

De actibus quae pertinent ad exercitium potestatis politicae in iure civili.

Breviter traduntur principia iuris publici italici, gallici et germanici circa vetitum quominus praecepta vel decreta administrativa iudicio subiciantur. Plurimae referuntur sententiae S. Romanae Rotae ex quibus apparet iudicem in causis damnorum ob violatum ius subiectivum ad administratoribus, non solum *legalitatem* sed etiam *meritum* actionis administrativae iudicare non dubitasse.

Revera principium « dell'insindacabilità del merito dell'azione amministrativa » non obtinet vim in lege canonica.

CAPUT QUARTUM. — Publicus officialis ecclesiasticus debet propria pecunia sarcire damna ob iura privata sua actione laesa. Quaeritur utrum iure canonico detur obligatio Ecclesiae vel entis ecclesiastici sarcienti damna illata a publicis officialibus ecclesiasticis. Breviter exponitur status similis quaestionis in legibus civilibus italica, gallica, germanica, anglica et Statuum Americae Septemtrionalis. Traditur regula 76 in VI et glossa. Traditur iurisprudencia S. Romanae Rotae.

De obligatione Ecclesiae propter damna ex contractu; de obligatione

Ecclesiae ex « de in rem verso ». De obligatione domus religiosae propter factum religiosi. Traditur iurisprudencia S. Romanae Rotae.

CAPUT QUINTUM. — De formali legum examine. De lege contra ius Divinum. De legibus contra ius constitutionale. De legibus vulgo « in senso sostanziale » conditis a potestate administrativa. In iure canonico breviter dicitur de legibus generalibus conditis a S. Congregationibus. Quaeritur de legibus Episcoporum contra ius commune. Iurisprudencia S. Romanae Rotae circa potestatem et obligationem iudicis hisce legibus applicationem denegandi.

De processu summario in Codice Iuris canonici

Ph. Hofmeister

Abtei Neresheim, Württemberg

In prima parte exponitur, processum formalem C. I. C. in permultis similem esse processui summario legibus Iustiniani et decretalibus Gregorii IX proprio. In secunda et tertia parte auctor requisita processus summarii secundum ius naturale et humanum explicat et casus enumerat, in quibus summarie procedi potest. Deinde can. 1933 § 4, cuius interpretatio pluribus canonistis difficultates fecit, explicatur et differentia inter « declarationem vel irrogationem poenae ad modum praecepti » et praeceptum cum poenae comminatione in casu « transgressionis » demonstratur. In fine tractatur quaestio an consuetudines centenariae vel immemorabiles Codici in hac materia contrariae neque expresse reprobatae servari possint.

Ius naturale tamquam terminus pro iuribus acquirendis et exercendis

C. Hohenlohe

Universität, Wien

1) Naturalia enim iura civilis ratio perimere non potest (§ III, 1, 2).

Hoc effatum invenitur in Corpore iuris civilis, provenit a Iurisconsulto Gajo et originem ducit ex philosophia stoica. Indubium est, quin Iurisprudencia romana non semper idem senserit de iuribus naturalibus. In legislatione Iustiniani conceptus iuris certas modificationes prae se fert in compactione cum iure romano classico. Haec modificatio efficitur sub influxu do-

ctrinae Patrum imprimis Sancti Augustini. Optimus interpres legislationis Iustiniani est certe S. Isidorus, qui natus est adhuc regnante Iustiniano et qui in aula regum Wisigothorum culturam graecam optime novit.

2) Influxus doctrinae Lactantii, Ambrosii, imprimis Sancti Augustini in Codificationem Iustiniani demonstratur.

Pietas, humanitas, aequitas termini sunt, qui modificationem conceptus iuris in legislatione Caesarum christianorum perficiunt. Hugo Krüger (*Zeitschr. der Savigny-Stiftung*, Vol. 19 ex 1898) enumerat omnes leges, in quibus sermo est de pietate et humanitate, sed declarat, hos conceptus omnino confusos esse et impossibile evadere, ex eis aliquam doctrinam claram deducere.

3) Ex legibus a dicto Krüger citatis duce doctrina Lactantii, Ambrosii, imprimis Augustini doctrina Caesarum christianorum de iure, pietate et humanitate et aequitate deducitur et ad evidentiam influxus Christianismi in ius Romanum probatur.

Ex Etymologiis S. Isidori doctrina Corporis iuris civilis de iure, per se essentialiter christiana in legislationem Barbarorum, tandem in Decretum Gratiani transit, fundamentum fit doctrinae S. Thomae et totius culturae medioevalis.

4) Possumus dicere secundum doctrinam christianam, ius naturale terminum esse pro iuribus acquirendis et exercendis.

Haec doctrina christiana primum invasit in ius publicum. Concilia, Synodi ut melius dicam ius canonicum via erant, per quam doctrina Patrum in Iurisprudentiam Romanam penetravit. Hoc sensu methodologia Prof. Carusi (*Diritto Romano e Patrologia*, Scritti in onore di Fadda, 1906) compleri potest, ut imprimis attendendum sit, fontibus iuris canonici ad detegendum influxum Christianismi in ius romanum. Iam saeculo elapso Iurisperitus gallicus Giraud merito dicere potuit, legislationem Iustiniani esse monumentum iuris canonici.

5) Doctrina christiana de iure essentialiter reponit in ordine divino, qui totam creationem pervadit et nobis notus fit per legem naturalem. Doctrina de iure et de statu civili a philosophia christiana construitur incipiendo a dependentia hominis a Deo. Etiam lex humana scopum prosequitur, ut omnia ordinatissima sint secundum rationem divinam et proinde pax et felicitas regnent inter genus humanum.

6) E contra Iurisprudentia moderna doctrinam de iure et de Statu civili construit incipiendo ab homine individuali cum scopo principali, libertatem hominis individualis condendi.

Breviter exponuntur rationes philosophicae huius doctrinae modernae cum omnibus suis effectibus funestis.

7) Encyclicae ultimorum Summorum Pontificum in hac materia allegantur.

8) Conatus Codicis civilis Germaniae saeculo elapso exeunte ex novo aliquem nexum iuris privati cum Ordine morali statuendi. Doctrina de Ordine morali tanquam terminum ad iura acquirenda et exercenda (§§ 738, 226, 826). Influxus huius doctrinae in legislationem Austriacam. Critica huius doctrinae, quae eo sensu corrigenda est, ut non ordo moralis sed ius naturale talem terminum efformet. Breviter indicantur consequentiae talis doctrinae pro iure publico et privato. Hac via invenitur Ius sociale, quod restituit solidaritatem generis humani.

9) Italia et Austria hanc viam inierunt.

Quod Iustinianus solummodo adumbravit, temporibus modernis adaequate perficiendum est.

Leonis PP. XIII doctrina de civitatum constitutione

G. I. Ebers

Universität, Köln

I. — Evolutio iuris, ut appellant, novae civitatis ab exeunte medio aevo:

a) doctrinae nominalismi et humanismi necnon aevi, quod « Renaissance » nominant;

b) doctrinae philosophorum saeculi XVIII et anni 1789 necnon liberalismi, socialismi et communismi;

c) relationes inter doctrinam philosophi Hegel et ius gentium modernum.

II. — Pontificum et praecipue Leonis PP. XIII doctrina de civitatum constitutione et relationibus inter gentes:

a) de republica ut organismo naturali, de salute publica ut civitatis principio et fine ultimo, de potestatis publicae origine et limitibus;

b) de iure gentium moderno.

III. — Conclusio: Benedicti PP. XV et Pii PP. XI doctrinae de mundi pacificatione.

Quo pacto, in nonnullis nostri temporis legibus et institutionibus, Ius canonicum rursus efflorescat, propter Conventiones sollemnes a Pio XI cum Potestatibus saecularibus nuper conclusas

Y. De La Brière

Institut Catholique, Paris

1. — Quinam conceptus liberalismi et laïcismi praevaluerit et fere ubique propagatus sit, a tempore ipso Revolutionis gallicae, ad *saecularisationem* legum civilium efficiendam, ita ut quodcumque in Iure canonico statutum sit iam ab ipsis de medio tolleretur.

2. — Quibus in adiunctis Pius XI, post bellum saeculi vicesimi, novas Conventiones sollemnes cum Potestatibus saecularibus statuere potuerit, in quibus Potestates saeculares multa in favorem Ecclesiae concederent quae, ab uno saeculo elapso, omnimode repudiata essent.

3. — Quo pacto Potestates saeculares promovendi ad sedes episcopales nullum ius vel exercent (paucissimis demptis exceptionibus) vel etiam quomodocumque postulent.

4. — Quo pacto, in supra dictis Conventionibus, multae Potestates saeculares ipsius Iuris canonici regulas plus minusve admittant quod attinet ad dioeceses, paroecias, congregationes religiosas, vel ad patrimonium ecclesiasticum aut monasticum.

5. — Quo pacto, in supra dictis Conventionibus nonnullae Potestates saeculares diversas admittant immunitates ecclesiasticas ab ipsa lege civili protegendas simulque atque temperandas; imo quibusdam ordinationibus ecclesiasticis auxilium concedant brachii saecularis.

6. — Quo pacto, in iisdem Conventionibus, leges civiles et saeculares ad christianae iuventutis instructionem et educationem scholasticam, vel etiam ad adsociationes Actionis catholicae et ad rem catholicam promovendam pertinentes, ad normam legis ecclesiasticae plus minusve accommodentur.

7. — Quo pacto, in tribus Conventionibus sollemnibus, matrimonium christianorum catholicorum unice per legem ecclesiasticam regatur, ita ut eadem lex canonica per se ipsam, omnes effectus suos iuridicos sortiatur coram Potestate civili.

Variae relationes inter ius canonicum et ius privatum Hungaricum

J. Stolpa

Consiliarius reg. ministerii iustitiae hungarici, Budapest

Relationes inter ius canonicum et ius civile Hungaricum respiciunt iam decem saecula et principia sua habent in legibus fundatoris Regni Hungariae, Sancti Stephani regis beatae memoriae. Iam leges dicti regis affirmant Ecclesiam et personas ecclesiasticas facultatem habere bona temporalia acquirendi; praecipunt, ut bona ecclesiastica sub defensione regis sint; porro decernunt, ut episcopi habeant potestatem res ecclesiasticas providendi, regendi et gubernandi secundum canonum auctoritatem. Inde per multa saecula longus ordo sequitur legum civilium rationes ecclesiae et personarum ecclesiasticarum in variis relationibus tractantium — etiam quoad ius privatum — vel secus ad res iure canonico rectas spectantium; imo nonnullae harum rerum olim plane ad iudicia ecclesiastica pertinebant. Nunquam autem erat dubium, quin normae memoratae iuris privati, ubi lex civilis deficeret, iure canonico explere deberentur, nisi aliud ex rei natura vel ex iure constaret; et quidem adeo, ut iurisperitus quidam Hungaricus de hac re scripserit: «...ubi iis (sc. legibus civilibus) destituti fuerimus, ad sanctiones canonicas confugium capere cogimur». Hi nexus inter ius canonicum et ius privatum Hungaricum prioribus saeculis multo ampliores fuerant; sed etiam hodie in nonnullis relationibus existunt. Itaque ius canonicum usque ad hodierna tempora in quibusdam relationibus censetur fons suppletorius iuris privati Hungarici et simul ius receptum, cuius auctoritas valde aucta erat perfecto opere Codicis Iuris Canonici et cuius observantia in usu forensi civili dicto opere Codicis novi magnopere proventa et levata erat. Praesertim perspicue videtur hoc in quaestionibus, quae ad statum iuridicum civilem personarum moralium ecclesiasticarum et ad effectus civiles professionis religiosae pertinent, quod relatio per demonstrationem normarum quarundam iuris privati hungarici et usus forensis hodierni tribunalium hungaricorum illustrat.

Relationes quae sint inter ius canonicum et ius civile Austriae

I. Bombiero

Universität, Wien

I. — *Introductio*: a) Vicissitudines iuris canonici et civilis in genere.

b) *Evolutio historica* inde a temporibus Iosephi Imperatoris II: Lex matrimonii d. 16 Ianuarii 1783. Leges amortisationis contra ecclesiae ius bona acquirendi. — Codex civilis Austriacus anni 1811. — Concordatum d. 18 Augusti 1855. Restitutio legislationis et iurisdictionis ecclesiasticae in causis matrimonialibus. Abrogatio amortisationis legum. — Lex status fundamentalis d. 21 Decembris 1867. Tres leges quae dicuntur majales d. 25 Maii 1868. Restitutio iuris civilis matrimonialis. Renuntiatio concordati ex parte Status Austriaci. Lex d. 7 Maii 1874 de condicionibus iuridicis externis ecclesiae catholicae. — Res gestae anni 1918. Allocutio Benedicti XIV d. 21 Novembris 1921. — Novum Concordatum Austriacum d. 5 Iunii 1933, ratificatum die 1 Maii 1934.

II. — *Reordinatio iuris matrimonialis in Austria*: Status Austriacus recipit cum effectu civili a) matrimonia celebrata in forma canonica secundum ius canonicum, b) sententias ecclesiasticas in processu canonico nullitatis matrimonii et dispensationem matrimonii rati sed nondum consummati pronuntiatam ab auctoritate ecclesiastica, c) competentiam ecclesiae circa Privilegium Paulinum. — Ecclesia concedit Statui competentiam id est iurisdictionem circa separationem quoad torum et mensam. — Effectus sequentes iure canonico et civili.

III. — *Iura institutorum ecclesiae in Austria*: Institutorum ecclesiasticorum personalitas iuridica, unde sit et quomodo in causis civilibus procuratoribus institutorum exerceatur — Ius civile favet bonis ecclesiasticis — et in iure executionis.

IV. — *Iuris civilis Austriaci praecepta de religionibus et religiosis*: Ius et facultas conventuum religiosorum acquirendi et possidendi bona immobilia. Coërcitio huius iuris et facultatis quoad singulos religiosos. Modus peractionis singulorum praeceptorum iuris religionum ad obtinendos effectus civiles.

V. — *Conclusio*.

Ius canonicum pars iuris civilis vigentis in Jugoslavia

R. Kysey

Universitas, Ljubljana

In maiore parte territorii regni Jugoslaviae res ecclesiasticae catholicorum omnino iure canonico administrantur. Nonnullae regiones iure matrimoniali civili carent et legibus ecclesiasticis etiam pro foro civili utuntur. Iurisdictione in causis matrimonialibus etiam pro foro civili tribunalibus ecclesiasticis commissa est. Ne matrimonia mixta quidem in dictis finibus lege civili regulata sunt. Collisiones iuris Ecclesiae Orthodoxae Serbicae et Ecclesiae Latinae in hac materia solvendae. — Quomodo novissima delineatio Codicis civilis regni Jugoslaviae Ecclesiae cooperationem in matrimoniis contrahendis reservet.

De statu ecclesiastico-civili in republica Cecoslovacha.

A. Kindermann

Deutsche Universität, Prag

I. — *Introductio*:

Sermo in sequentibus erit tantum de terris sic dictis historicis coronae Bohemicae (Boemia, Moravia, Silesia; Slovachia et Podkarpattia diversam habuerunt iuris evolutionem).

Brevis conspectus historicus de legislatione eccles. civili in imperio Austro-Hungarico inde a temporibus reformationis usque ad annum 1918 (origo Reipublicae Cecoslovachae).

Influxus Status in provincia ecclesiastica tempore reformationis protestanticae; tempus omnipotentiae Status et absolutismi; Concordatum Austriacum anni 1855 ac eius oppugnatio ex parte liberalium; indirecta et directa denuntiatio unilateralis Concordati ac nova legislatio per leges praesertim 7 maii anni 1874.

II. — *Fontes, e quibus status eccles. civilis in Republica Cecoslovacha hauritur*:

A) Fontes iuris publici externi:

1) Conventio St. Germani a. 1919;

2) Modus vivendi a. 1928.

B) Fontes iuris publici interni:

1) Lex constitutionalis a. 1920;

2) Leges eccles. civiles imperii Austro-Hungarici, quatenus non sunt expresse abrogatae; deinde Codex civilis Austriacus (ABGB) et multa decreta aulae imperatoris et singulorum dicasteriorum imperii;

3) Leges eccles. civiles inde ab anno 1918 emanatae.

III. — *Status eccles. civilis in specie:*

1) Leges interconfessionales:

Valde discrepant a iure canonico; ad quamnam confessionem (religionem) proles pertineat; mutatio confessionis, scilicet transitus ab una ad aliam; conditio iuridica illorum, qui sunt « sine confessione ».

2) Conditio eccles. civilis clericorum:

In genere: eorum privilegia; clericus fungens aliquo munere in cura animarum non est tantum sub iurisdictione Ordinarii, sed est etiam functionarius (minister) publicus ipsius Status; attamen pastor animarum et omnes eum adiuvantes non sunt officiales Status proprio sensu, sed remanent ministri Ecclesiae; etiam stipendium (congrua) quod eis a Statu elargitur, non datur ex aerario Status, sed ex sic dicto fundo religionis, qui fundus est proprietatis Ecclesiae et Status habet tantum administrationem.

In provisione officiorum ecclesiasticorum quaedam exiguntur a petentibus postulata; etiam in amissione officiorum eccles. Status sat magnum exercet influxum. In exercendo suo officio eccles. clericus observare debet praeter canones iuris canonici etiam praescripta civilia, quae multas continent restrictiones.

3) De beneficiis et bonis ecclesiasticis:

Paucis tantum beneficiis providetur per liberam collationem Ordinarii; - Permagna pars beneficiorum subiacet iuri patronatus; - Ius consuetudinarium hac in re multa introduxit etiam contraria canonibus C. I. C. - In provisione beneficiorum canonicorum viget ius commune, quod tamen per multum tempus ex parte Status acriter impugnabatur.

Bona ecclesiastica constituunt proprietatem singulorum entium moralium ecclesiasticorum. - Status exercet in bona eccles. custodiam et invigilantiam. - Praescripta civilia quoad onus reficiendi ecclesiam etc. valde conveniunt cum iure canonico. - Per legem reformationis agrariae a. 1919 bona eccles. in Rep. Cecosl. maxima passa sunt detrimenta.

4) De iure matrimoniali:

Per legem matrimonialem a. 1919 maxima inflicta sunt vulnera legisla-

tioni divinae ac ecclesiasticae circa materiam matrimonii; inter alia Status sustulit plura impedimenta eccles. matr., declaravit matrimonii solubilitatem, introduxit matrimonium civile facultativum.

5) De diebus festis:

Kalendarium festorum ecclesiasticorum a civili auctoritate plene agnoscitur excepto festo St. Iosephi.

6) De sepultura ecclesiastica ac crematione cadaverum:

Sepultura eccles. perficitur a ministro eccles. competente. Ius civile permittit etiam, quod moriens catholicus a ministello acatholico petere possit, ut perficiat sepulturam. - Status curam habet, ne sepultura evadat indigna vel impediatur. - Permittitur crematio cadaverum.

7) De religione in scholis tradenda:

Scholae statales sunt interconfessionales; institutio religiosa in scholis est quidem obligatoria (exceptis ultimis annis in schola media), at facile haberi potest dispensatio a tali obligatione. - Evitantur motiva religiosa in educatione. - Multi uti typum exemplarem scholae appetere videntur scholam laicalem.

IV. — *Conclusio:*

Status eccles. civilis in Republica Cecosl. magna ex parte fundatur in legislatione iuridica imperii Austro-Hungarici, quae legislatio erat imbuta spiritu liberalismi et omnipotentiae Status. Relatio inter Ecclesiam et Statum proveniens ex tali legislatione est relatio collaborationis ac coniunctionis inter Ecclesiam et Statum, ita tamen, ut Status aliquam superioritatem supra Ecclesiam quamvis mitigatam exerceat. Talis est et hodie status eccles. civilis fundamentalis in Rep. Cecosl.

At statim inde ab initio Reipublicae a multis systema separationis Ecclesiae a Statu propugnabatur. Vita catholica paulatim mirum in modum aucta voces pro separatione Ecclesiae a Statu obmutuerunt et a. 1928 Respublica Cecosl. Modum vivendi conclusit cum Apost. Sede, qui Modus vivendi certe non est Concordatum, attamen bonum signum consolidationis relationum eccles. civilium. Per Modum vivendi paucissimae tantum quaestiones solutae sunt, plurimae adhuc restant solvendae. Utinam per Concordatum brevi feliciter solvi possint!

*De Iure Canonico et lege civili in Hibernia
et in Imperio Britannico vigente*

M. Browne

St. Patrich's College, Maynooth

Schema relationis est:

1. Systema in Hibernia vicens est systema Anglicum quod ad Imperii omnes partes extensum est.
2. Ante Henricum octavum ius canonicum vim legalem in rebus ecclesiasticis habebat: maximi aestimabatur.
3. Henricus vim legalem ademit et studium prohibuit.
4. Tria saecula maximae hostilitatis et ignorantiae iuris canonici.
5. Introductio tolerantiae. Suprematia legis civilis in casu conflictus et competentia tribunalis civilis in causis ecclesiasticis: Privilegium fori.
6. In causis ecclesiasticis coram tribunali civili an ius canonicum lex vel regula privata censi debeat. Momentum quaestionis: decisio recens.
7. Comparatio iuris canonici et legis civitatis quoad:
 - a) res temporales;
 - b) matrimonium;
 - c) educationem.
8. Alii casus conflictus.
9. Conclusio: vitalitas iuris canonici: modus in quo evolutio systematis anglici effecta est.

De libertate cultus in Statibus foederatis Americae

V. Schaaf

Catholic University, Washington

Introductio.

Historia: Aevo Coloniali (ab a. 1606 usque ad a. 1776) — Aevo Revolutionario et postea.

De Ecclesiae personalitate morali.

De libero Religionis exercitio.

« Placet » et « Exsequatur ».

« Appellatio ab abusu ».

De erectione Dioecesium et de nominatione Episcoporum.

De erectione Paroeciarum et de institutione Parochorum.

De Ordinibus Religiosis.

De praedicatione atque processionibus.

De matrimonio.

De officiis divinis in Institutis publicis.

De scholis.

De coemeteriis.

Conclusio.

Libertas cultus in Republica Canadensi

I. F. Pouliot

Ottawa

A capta possessione Canadensis coloniae per I. Cartier catholicismus fuit religio status. Deinde variae habentur vicissitudines.

1) A Pactis Quebecensibus (1750) ad Tractatum Lutetiae Parisiorum (1763) libertas coarctatur, quamvis non aperte.

2) Tractatu Parisiorum libertas nomine tantum recognoscitur: variis restrictionibus ab a. 1763 ad 1851 toleratur.

3) Post varia catholicorum tentamina et motiones a. 1852 libertas plene restituitur, Victoria Regina, opera praesertim administri La Fontaine.

Roma creatrix et interpres institutionum iuris universalis

I. Müller

Académie de Droit International de la Haye

Roma pagana et Roma christiana fuerunt creatrices et interpretes institutionum iuris universalis, efficientes hac re concordantiam morum iuris. Roma creavit *ius civile* atque *ius canonicum universale*. Roma mediatrix fuit *ius feudorum*. Roma erit interpres et mediatrix *institutionum iuridicarum*, quibus cardines mundi *in reliquum tempus* vertentur.

I.

Ius *inter gentes*, post repertam Americam primum perspectum — a Francisco de Victoria et Hugone Grotio — positum est in saxis aedificantibus utilibus, quae *imitatione* et *educatione* iam inter populos antiquitatis praebentur. Ita *ius civile*, paulatim superatum *iure gentium*, cursum victoris per milia annorum ostendet.

Roma pagana non potuit creare *ius inter gentes*, quia vindicia imperii sui in totum orbem pertinuerunt. Nihilominus *ius civile* Romae antiquae munus donumque suo genere singulare permanet. Singulare, quod ingenium summum in arte mentis scientiae iuridicae, quae est de populis antiquitatis, effingendae. Ratio scripta est, quantum ad *iura bonorum* spectat, religione, sorte, rebus politicis neglectis. Itaque optimo iure imperator Iustinianus Augustus postulat, ut imperatoria maiestas non solum armis decorata, sed etiam legibus armata, totius legitimae scientiae elementa ad omnium populorum notitiam perveniret et « felix Romanorum genus » Deo propitio in aeternum gloria niteret.

II.

Sancta Sedes Apostolica *thesaurum legum divinarum* servat. Summi Pontifices legum moderatores sunt. Cum non solum imitatio et educatio inter gentes progressus iuris efficiant, sed etiam rerum naturalium et divinarum cognitio doctrinaque, verbum poetae (Horatii) « Nil maius sub sole », urbe Roma, in novam lucem profertur.

Ecclesia, humani civilisque cultus mater, gentes ductura est, ut praecepta evangelii penetrent in leges et institutiones gentium. Itaque *ius canonicum* non solum disserit de ordine civili et politico, sed etiam de iure inter gentes, de iure belli pacisque. Extremum finem humani civilisque cultus transgrediens, Ecclesia multum valuit, quantum ad relationes pacificas inter gentes pertinet. In primis:

per concilia oecumenica, quae olim Europae quasi senatus fuerunt;

per officiales ecclesiasticos, exemplum virorum eiusdem disciplinae peritorum, qui hoc munere constanter funguntur;

per legatos Sanctae Sedis;

per missiones sensum communem propagantes in civilia instituta et officia.

Roma christiana mutavit aut defendit aut creavit *institutiones iuridicas*, quae hoc tempore magni momenti sunt *paene per totum humanum ge-*

nus. Cuius generis sunt: *dominium*, *ius corporationum*, *ius mediationis* inter gentes in bello paceque. *Contra ultionem et servitutem*, bello similes, solum transitum significantes ad gradum maiorem vitae perpolitae humanitate Roma summorum pontificum certavit.

Roma christiana praeunte, homines libertate emigrandi usi sunt. *Ius emigrandi*, id erat temporibus lapsis, in quamquam regionem orbis intendere et peregrinari, ut ait Hispaniae Socrates (Franciscus de Victoria): « a principio orbis (cum omnia essent communia) licebat unicuique in quamque regionem vellet intendere et peregrinari (*De Indis*, sectio III, I). Id erat: *ius supplendi et adiuvandi mundum fraternum* aliena ope indigentem auxilio laboris. Id erat: *ius ad propagationem regni Christi et humanitatis romanae*. Hoc modo migrationes maximi momenti sunt, exprimentes munus iniunctum gentium vitae cultioris. Exprimentes etiam viam providentiae divinae, qua genus humanum utitur incremento perpetuo: per mutuam adiutorium et per mutuam imitationem et educationem.

Roma christiana non creavit doctrinam canonicè definitam de bello ac pace. Nihilominus sanctus Augustinus doctrinam belli liciti et illiciti primus exposuit. Quinque saeculis ante Hugonem Grotium *fundamenta doctrinae de bello iusto* posita sunt in Decreto Gratiani, imprimis in celeberrima causa XXIII Decreti partis secundae, qua dicitur: « Armis abstinendum, nisi necessitas urgeat ».

Etiamsi doctores iuris naturalis excusationem subsidiariam belli admiserint sub conditione inopiae pacificatorum aequabilium, tamen in memoriam reducendum est summum officium quod Sedes Apostolica exsecuta est titulo *arbitri et mediatoris* inter gentes, auctoritate imperatorum deficiente.

III.

Nostra tempora comprobant gravitatem institutionis iuridicae *mediationis* inter gentes, quam Apostolica Sedes creavit et in usum gubernationum regnorum induxit. Alia potestas vix non est, nisi « summae aequitatis sedes » (S. Bernard.), quae genus humanum praemonet de causis novum bellum adducentibus.

Haec causa est: iniquitas inter populos hominibus abundantes et regiones abundantes naturalibus dotibus, carentes nihilominus operariis. Causa est, quae dicitur « *oeconomica anorganica* » (anorganische Weltwirtschaft), ab ordine naturali ac legibus divinis dissidens.

Hoc problema non est peragendum, nisi conscientiae appellatione summae auctoritatis. Nisi populis variarum regionum orbis cooperatores, quan-

tum attinet ad populos sine opera, ad regiones fertiles attamen vacuas hominibus et ad pecuniam creditam.

Coordinatio societatum et ordinum coniunxit Europam medii aevi, post gentium mutationem sedium. Ita *cooperatio intercontinentalis*, legibus divinis conveniens, nos discrimine novi belli liberabit. Roma christiana iterum occurret causae Europae et humani generis: animo christiano afficiens oeconomiam orbis terrarum.

Historia agit officii sui partes, si efficit, ut apte simus ad magnam rerum commutationem. Nostra nunc interest hoc loco, ut tabulam ponamus, quae indicet quo via ducat.

De via resolutionis discriminis mundi

P. Angyal

Universitas, Budapest

Problema relationis individui ad societatem solvendum nunc temporis vivius agitur, instante mundi discrimine. Contra systema individualisticum, doctrina coordinationis socialis nostris temporibus victura apparet, quae quidem unica via est ad discriminis solutionem.

Media aetate, saeculo ante renatas litteras, humana societas feudalistica structura regebatur. Ab ineunte nova aetate, priori systemati reactio, succedit systema sociale liberi laboris, quod ante Gallicam rebellionem ratione materiali et oeconomica evolvitur: altero vero saeculi XVIII dimidio, idea libertatis ipsum ingreditur. Inde saec. XIX relativismus ethicus et conceptus egocentricus mundi, cuius umbra brevi apparuit socialismus, antea quidem affectiva, postea vero marxistica ratione grassans, odium classium fovens. Liberalismus et socialismus discordant in eo quod alter individuum alter societatem ad summa tollit; conveniunt vero in pessimis communibus prae-supposito (atheismus) et consecariis (societatis ruina).

Quae pessima consecaria elucent ex consideratione necessitudinis individui ad seipsum, ad societatem, ad Deum. Ad mundi discrimen solvendum aliud systema sociale corporativum scil., fovendum est, quo individuus a civitate totalitaria non absorptus, membrum consideratur societatis et simul habens sibi ultimum finem Deum. Corporationes sint in suo *esse et operari* autonomae, sub moderatione tamen legitimae auctoritatis.

Ad evangelicam doctrinam redeundum est et instituta quae litt. enc. « Rerum novarum » et « Quadragesimo anno » praedicata sunt. Hinc ordinis socialis restauratio et discriminis solutio.

De hodierno systemate separationis Status ab Ecclesia

M. Bierbaum

Universität, Münster i. W.

I. — Quaestio separationis quanti momenti hodie sit.

1. Systema separationis in aliis Civitatibus iam dudum ratum est, in aliis inde a tempore pacis (a. 1918) iure constitutum est, cui rei subsunt causae hae:

a) Postulatum quoddam, secundum quod rei publicae negotia recte pacificeque non nisi per separationem ordinari posse arbitrantur;

b) Laicismus.

2. Aliae Civitates quaedam a forma separationis magis magisque discedunt et pro relationibus cum Ecclesia habendis omnibus viribus contendunt, cui rei subsunt causae hae:

a) Auctoritas Ecclesiae et S. Sedis diversis ex rationibus in dies crescens;

b) Molestiae malaque varia ex quibus Civitates hodie laborant quibusque superandis Ecclesiam auxilium afferre posse dignoscitur.

II. — Quam difficile sit notionem ac vim separationis definire.

1. Quae causae huic difficultati subsint;

2. Varii inveniendi notionem modi (via inductiva, deductiva, etc.);

3. Variarum formarum separationis (sep. plena, sed non absoluta; semiplena).

III. — Exempla separationis praecipua ex positiva legislatione civili et iure gentium desumpta.

IV. — Respectus ac prospectus.

De institutione matrimoniali de Jure Hispano

E. Montero

Universidad, Madrid

Brevissima praevia elocutione, Dissertatio « De institutione matrimoniali in Iure hispano » in tres dispescitur partes quarum prima de aevo medio, secunda de epocha moderna, tertia denique de tempore praesenti inscribi possent.

A) *Aevo Medio*. Iuxta Freissen, si elementa attendantur quae matrimonii celebrationem regunt apud Hispanos, tres periodi distingui possent, quas visigothicam, mozarabicam et recentiore appellat. Herculanius vero, Portugalliae scriptor historicus, tres matrimonii formas ratione ritus distinguit, quae *ad benedictionem, de fama et a iuras* vocantur, Marina e contra et Hispanorum plurimi duas tantum formas admittunt, matrimonium *ad benedictionem* et *a iuras*. At reiiciendae videntur omnes hae opiniones, nam multis argumentis et coniecturis iuridicis conmostratur unum dumtaxat conceptum iuridicum, durante aevo medio, unumque matrimonium in legislatione hispana admissum fuisse, cuius duae exstabant celebrandi formae, solemnitas alia et publica — *ad benedictionem* dicta — alia privata — quae *a iuras* audiebat, ideo quia solius consensus traditione externa perficiebatur. Utraque tamen eosdem iuridicos effectus in legibus habebat, licet secunda ob confusionem vulgi minoris imo et iniqua aestimaretur quasi cum praxi *barraganias* similis; ita ut post elapsam seculum XIII eiusdem vix ulla mentio habeatur in fontibus legalibus.

B) *Epocha moderna*. Promulgata a Concilio Tridentino lege de matrimonio publice in facie Ecclesiae celebrando, ea statim ut lex Regni in tota Hispaniarum ditone a Philippo II indicta est Regali Pragmatica 12 Iulii 1566.

Et talis fuit rei matrimonialis conditio iuridica usque ad annum 1869, quo post Rempublicam instauratam edita est Constitutio quae cultuum libertatem induxit, et anno 1870 per Codicem Civilem inductum est matrimonium *civile* — quod vocant — tamquam unicum matrimonium cum effectibus legalibus, ita ut illegitimi haberentur filii ex solo matrimonio canonico. Haec iniqua lex a populo non est praxi recepta; et instaurata monarchia, anno 1875 denuo recognita sunt matrimonii canonici iura, licet civile quoque retineretur pro iis qui non profiterentur religionem catholicam. In Codice Civili anni 1888 haec doctrina conservata est, dum duas agnoscit matrimonii formas, *canonicam*, obligatoriam pro omnibus qui profitentur religionem catholicam, et *civile matrimonium* ad normas eiusdem Codicis. Et haec fuit rerum conditio usque adhuc, licet quaedam data fuerint Regalia Decreta illam legem interpretantia.

C) *Praesenti tempore*, rei matrimonialis conditio mutata est per recentissimas Reipublicae leges. Articulus 43 Constitutionis politicae statuit matrimonium dissolvi posse mutuo dissensu, vel alterius utriusque coniugis petitione; parentes eadem iura habere erga filios extra matrimonium genitos quam pro in eo natis, nullamque fieri posse declarationem de natalium legitimitate vel secus, nec super civili parentum statu. Die 2 martii 1932 lex *de divortio* edita est qua Constitutionis articulus extenditur; die vero 30 eius-

dem anni promulgata fuit lex de *matrimonio civili*, quod omnibus obligatorium proponitur, suppressis impedimentis ordinis sacri et professionis religiosae.

Is est rei matrimonialis praesens status in legislatione hispana, qui tamen non post multum temporis in meliorem sortem mutandus speratur.

*Novissimum ius matrimoniale tum materiale tum formale
Ecclesiae Orthodoxae Serbicae et ius matrimoniale
in Codice iuris canonici in quonam differant*

A. Odar

Universitas, Ljubljana

1. — Ecclesia Orthodoxa Serbica post immane bellum in novo regno Jugoslaviae coaluit ex sex ecclesiis particularibus, quarum tres (in regno Serbiae, in regno Montis Nigri, metropolia in Sremski Karlovci) erant autokefales (plene independentes) et tres (in Bosna-Herzegovina, in Dalmatia, in Serbia Meridionali) autonomae (independentes, sed non plene), et sic unita format sibi et ordinat ultimis annis novum ius. Promulgata est in primis lex statialis de Ecclesia Orthodoxa Serbica (de die 8 nov. 1929); quo fundamento postea elaborata est constitutio Ecclesiae Orthodoxae Serbicae (die 16 nov. 1931). Ad artic. 1 leg. cit. nec non vi artic. 63, n. 13 const. cit. acceptavit et confirmavit concilium episcoporum residentialium (arhiereiski sabor) ut corpus legislativum die 9 iunii 1933 « normas matrimoniales Ecclesiae Orthodoxae Serbicae » (braena pravila). Die 12 iunii 1933 decrevit idem corpus legislativum novum « codicem processualem pro iudiciis in Ecclesia Orthodoxa Serbica », in quo etiam, praeter alia, pro diversis causis matrimonialibus praescripta inveniuntur. In legibus citatis proponitur ita et materiale et formale ius matrimoniale Ecclesiae Orthodoxae Serbicae.

Quod unificatum et exclusivum ius matrimoniale bene organizatae Ecclesiae Serbicae, unius ex maioribus ecclesiis orthodoxis, est magni momenti non solum pro catholicis in regno Jugoslaviae sed etiam pro canonistis occidentalibus, cum ostendat ex una parte vestigia antiquae traditionis orientalis, ex altera autem exclusivam et systematicam ordinationem iuris matrimonialis — prima vice in historia ecclesiae orientalis — et applicationem ad vitam hodiernam nec non influxum codicum civilium. Disquisitio praesens describit et relationes istius novissimi iuris matrimonialis ad ius antiquum

eiusque differentias a iure matrimoniali Ecclesiae Catholicae. Ex tota materia hic solum aliquae res afferri et notari possunt.

2. — Quod attinet ad competentiam Ecclesiae et Status in matrimonium praefatae normae matrimoniales se emancipaverunt a iure statali et habent vim exclusivam. Quae emancipatio oritur ex eo, quod amisit Ecclesia Orthodoxa Serbica in regno Jugoslaviae, quae est status paritatis, praerogativa ecclesiae statalis, quibus fruebatur in regnis Serbiae et Montis Nigri; non nihil autem influxisse in hoc iura matrimonialia ceterarum religionum in statu, in primis Ecclesiae Catholicae, videntur. In Ecclesia Orthodoxa Serbica hucusque his de rebus plurimi faciebant intimam cooperationem utriusque societatis (ita praesertim notus canonista serbicus ep. Nikodim Milas). Sed monendum est tum in novis normis matrimonialibus tum etiam in constitutione haberi talia aetissima vincula inter Ecclesiam et Statum, quae in occidente sub eodem systemate paritatis inveniri non soleant. Multa praescripta legislationis statalis assumpta sunt saltem ut leges canonizatae; in multis capitibus expresse agnoscitur competentia Status.

3. — Doctrina orthodoxa de benedictione sacerdotali ut elemento essentiali in sacramento matrimonii, iam in codice imper. Dusan (an. 1349) expressa, in normis matrimonialibus conservata est. « Matrimonium orthodoxum — docet paragraphus prima — est sacramentum quo duae personae diversi sexus modo ab Ecclesia praescripto se vincunt perpetuo spirituali et corporali vinculo ad plenam vitae unionem nec non procreandam et educandam prolem » .Et paragraphus secunda: « Personae matrimonium ineuntes tenentur in orthodoxo loco sacro coram competente sacerdote et saltem duobus testibus declarare suam liberam voluntatem, ut contrahant unus cum altera matrimonium; sacerdos autem hoc vinculum ecclesiastico ritu confirmat ». Quae benedictio ut actus potestatis ordinis toto caelo differt a forma iuridica, qua in Ecclesia Catholica parochus coniugio assistit. Matrimonii conceptus, quem descripsimus, et in aliis capitibus in lucem venit, ut evidens est. Multi orthodoxi, ex novissimis ex gr. Troicki, affirmant ipsorum conceptum matrimonii esse « idealisticum » (unio et perfectio vitae!), nostrum autem « realisticum » (proles procreanda, remedium concupiscentiae!), sed veteres auctores orientales in consensu cum occidentalibus citare solebant notissimam Modestini definitionem matrimonii.

4. — In capite de impedimentis primo loco monendum est conceptum ipsum impedimenti in normis matrimonialibus multo latiore esse quam in Codice iuris canonici. Inter impedimenta dirimentia enumerantur nempe non solum ea, quae respondent impedimentis in iure nostro, quae nominantur impedimenta personalia et distinguuntur inamovibilia (numero 13)

et amovibilia (10), sed etiam defectus quoad consensum (6) et formam (3), utraque minus feliciter amovibilia nominantur. Impedimenta impedientia habentur novem, ex quibus ne unum quidem respondet impedimentis, quae in Codice iuris canonici statuuntur, maxima ex parte ne quoad conceptum quidem: agunt enim de praescriptis observandis a sacerdote benedicente matrimonium. Quod attinet ad singula impedimenta monendum est quasdam novitates et mutationes introductas esse, ex gr. differentiam inter nativitatem legitimam et illegitimam quoad computandos gradus in impedimento consanguinitatis; impedimentum ordinis non est amplius absolutum; impedimentum aetatis, in quantum est absolutum, respondet impedimento de quo in can. 1067 C. I. C.; impedimentum quinti matrimonii est indispensabile, quarti dispensabile (antea quarti, respective tertii). Impedimentum affinitatis in veteri ambitu (triplex genus affinitatis) conservatum est; relictum est autem principium de dispensatione non concedenda in casu confusionis nominum. Introducitur impedimentum definitivae excommunicationis ex Ecclesia. Impedimenta in genere servata sunt in veteri ambitu, ut olim in iure nostro; consanguinitas, affinitas, cognatio spiritualis nec non legalis multo longius se extendunt quam in actuali codice nostro.

5. — Dispensabilia sunt solummodo taxative enumerata impedimenta personalia. Dispensationem concedit episcopus residentialis et synodus episcoporum (arhiereiski sinod). De dispensatione pro foro interno vel in casu necessitatis non habentur praescripta. Quod caput in codice nostro multo latius esse patet.

6. — De sponsalibus, quae sunt hodie pars celebrationis nuptiarum, nulum verbum habetur in normis matrimonialibus. Quoad valorem iuridicum respondet sponsalibus in iure nostro sic dictum examen antenuptiale. Tres proclamationes praescribuntur. Matrimonium contrahi debet coram parochio proprio et saltem duobus testibus. Praescripta de sollemnitatibus (de qualificatione testium, de loco, de tempore, de hora celebrationis) sunt multo aetiora quam in iure nostro vigenti.

7. — Duplex matrimonii convalidatio habetur: prima fit in certis casibus ipso facto, dummodo desierit impedimentum (sine benedictione sacerdotali et sine renovatione consensus) (lege ipsa concessa sanatio in radice); in secunda requiritur bilateralis renovatus consensus manendi in matrimonio.

8. — Ex triplici capite, ut in iure nostro, potest esse matrimonium nullum. De nullitate ipsa et de causis nullitatis habentur plura praescripta quam in codice nostro. Matrimonium nullum ob impedimentum personale amovi-

bile solum tribus annis post celebrationem declarari potest ut tale, postea habetur praesumptione iuris et de iure validum.

9. — Matrimonium (distinctio inter ratum solum et consummatum non habetur) dissolvitur: morte; declaratione mortis coniugis, etiamsi iste de facto vivat; professione religiosa facta cum consensu alterius coniugis; consecratione viri in episcopum, si dederit uxor consensum et ipsa in monasterium intraverit; sententia firma iudicis competentis (divortium). Divortii causae habentur octo, quae sequuntur; adulterium et adulterium praesumptum: inimicitiae vitae coniugis periculosae; abortus volitus vel permanens impeditio conceptionis ex parte mulieris; malitiosa derelictio coniugis; incerta commoratio coniugis; morbus corporis et animae; corruptio moralis; apostasia a religione orthodoxa. Maiori ex parte causae supponunt culpam (Verschuldensprinzip), sed non omnes (morbus, incerta commoratio, apostasia a religione orthodoxa). Actio divortii ex causa apostasiae non praescribitur; ceterae praescribuntur tempore sex mensium (in primis quatuor causis) vel trium annorum (reliquae).

10. — Pars quinta in normis matrimonialibus (§§ 115-123) inscribitur matrimonium mixtum. Agitur de matrimonio inter orthodoxum et christianum non orthodoxum, ex. gr. catholicum. Praescripta per analogiam can. 1061 C. I. C. facta sunt. Matrimonium mixtum celebratum coram ministro non orthodoxo debet ex officio vel ad instantiam coniugis aut ipsius procuratoris declarari nullum.

11. — Nova est pars sexta (§§ 124-125) cum inscriptione: Dissolutio matrimonii contracti extra Ecclesiam orthodoxam. In paragrapho prima decernitur circa matrimonia catholica: si potestas ecclesiastica non orthodoxa decernat perpetuam separationem a thoro et mensa, potest separatus coniux, si transit ad Ecclesiam orthodoxam, postulare divortium, si causa separationis sit una ex supra enumeratis causis divortii. In § 125 habetur praescriptum, quod respondet privilegio paulino.

12. — Breviter delineatur processus in variis causis matrimonialibus. Introductum est institutum defensoris vinculi matrimonialis.

Num § 35 Conclusionis definitivae deputationis Imperii Germanorum quae die 23 m. Febr. 1803 in urbe Ratisbona facta est, statibus Germanis iuris officium imponat clero curato et ecclesiis sustentandis pecunia annuatim solvenda consulendi?

I. Löhr

Universität, Tübingen

Pax inter Francogallos et Imperium Germanorum die 9 m. febr. 1801 in urbe Lunéville facta articulo VII constituit, ut tota ripa sinistra Rheni ad Francogallos cederetur et ut principes saeculares Germani, qui ibi provincias quasdam Francogallis cedendas amitterent, ab Imperio Germanorum compensationem haberent, atque id quidem finibus principum ecclesiasticorum (episcoporum et abbatum). Constitutiones de hoc articulo exsequendo a deputatione Imperii ad hoc instituta facta et conclusione definitiva die 23 m. febr. 1803 terminatae sunt. Quas paulo post Imperator ratas habuit consentientibus Francogallis.

Francogalli, adiuvantibus Russis, deputationi Germanorum compensationem proposuerunt et ut hoc approbaret coegerunt. In internas Germanorum res hoc modo se ingerentes medio usi sunt, quod etiam iniuriam maximam contra ecclesiam catholicam continebat. Quo factum est

1) ut contra ius naturale uni ordini Imperii i. e. principibus ecclesiasticis solis totum onus compensationis imponeretur, ad quod ferendum omnes ordines Imperii pari modo obligati erant;

2) ut contra ius positivum i. e. constitutiones pacis cum Imperio Germanorum solemniter pactas singuli principes hereditarii multo plus terrarum, incolarum, rerum, pecuniae acciperent quam Francogallis cesserant. Quod iam ante dietam deputationis Ratisbonensem inter Francogallos et compensandos principes saeculares secretis pactionibus constitutum erat;

3) ut contra ius ecclesiae non solum potestas politica principibus ecclesiasticis adimeretur, sed etiam bona ecclesiastica strictioris sensus i. e. bona episcopalia, bona capitulorum cathedralium et ecclesiarum collegiatarum et omnium fere abbatiarum et claustrorum exceptis solis bonis temporalibus ecclesiarum parochialium in manus alienas traderentur.

Maximi momenti est § 35, quo definitur: « Tous les biens des Chapitres, Abbayes et Couvents fondés, tant des anciennes que des nouvelles possessions, tant protestans que catholiques, tant médiats qu'immédiats, dont il n'a pas

été formellement fait emploi dans les arrangements précédents, sont mis à la libre et pleine disposition des Princes territoriaux respectifs, tant pour dépenses du culte, frais d'instructions et autres établissements d'utilité publique, que pour le soulagement de leurs finances ».

Omnes id affirmant officium stricti iuris esse, ut status qui talia bona ecclesiastica saecularizaverunt, sustentationem episcoporum, capitulorum cathedralium, ordinariatum episcopaliū, seminariorum clericalium curent, sed maximus dissensus est, utrum status Germani extra hoc officium etiam ad sustentationem parochorum et vicariorum et ecclesiarum parochialium secundum ius strictum obligati sint an solum officio morali ad hoc teneantur. Gubernia singulorum statuum, quae usque ad hoc tempus hanc sustentationem quidem suscipiebant, tamen semper dicebant et aperte declarabant se hoc voluntarie et sola religionis christianae aestimatione motos fecisse, consequenter se per articulum 138 modernae constitutionis Imperii Germanorum non teneri, ut loco annuarum solutionum unam summam pecuniae semel et pro semper ecclesiae dent; deputati plebis inter se dissentiebant, etiam auctores scientifici, iuristae et canonistae varias sententias publicabant. Quorum 12 enumerari poterunt, qui hoc officium iuris negabant, alii 12, qui id fortiter affirmabant.

Interpretatio verbalis § 35 nullum valorem habuit neque habere potuit; nam necessario incerta est, cum hic § 35 magnam evolutionem passa sit; cognitio sola genesis huius paragraphi lumen praebere et verum sensum verborum detegere potest, ita ut omnia dubia evanescent. Feliciter novos fontes in archivo Stuttgartiensi invenimus hic primo publicandos, quibus plenam probationem faciemus creatorem § 35 i. e. liberum baronem de Normann, ministrum ducis Wuerttembergiae in dieta Ratisbonensi ceteris legatis consentientibus verum officium iuris stricti statibus Germanis imponere voluisse. Id patet ex nonnullis secretis eiusdem legati litteris quas durante dieta dicta fere cotidie ad suum dominum dabant; apparet etiam ex parvo opere speciali, quod idem ad interpretandum § 35 et defendendam hanc sententiam contra quosdam errores composuit, qui iam paulo post Conclusionem definitivam inter contemporaneos exorti sunt sensum verborum obscurorum huius loci non intelligentes.

*Vestigia Iuris Canonici in iure civili matrimoniali
in Statibus foederatis Americae Septentrionalis*

L. Motry

Catholic University, Washington

PRAELIMINARIA:

- A) Momentum quaestionis;
- B) Studium iuris comparati in pluribus Facultatibus Iuris Civilis;
- C) Finis theoreticus et practicus supradicti studii.

QUAESTIONIS ILLUSTRATIO:

1. Influxus Iuris Canonici in Ius Civile in Anglia usque ad medium Saec. XVI.
2. Perduratio huius influxus inde a medio Saec. XIV.
3. Ius Canonico-civile matrimoniale introducitur in regiones Anglicas Americae Septentrionalis.
4. Post secessionem Coloniarum retinetur Ius Canonico-civile matrimoniale et introducitur in novos Status Foederatos.
5. Hodiernum Ius Canonico-civile Matrimoniale in Statibus Foederatis.

Studium iuris canonici in civilibus studiorum Universitatibus Galliae

F. Cimetier

Facultés Catholiques, Lyon

A medio saeculo elapso iam habitae sunt in « Ecole des Chartes » et serius (1885) in « Ecole des Hautes-Etudes » lectiones assiduae de historia iuris canonici; anno vero 1921, in Universitatem Parisiensem restitutae sunt.

Sub influxu praesertim harum lectionum, dissertationes multae prodire quae ius canonicum, et praesertim ius matrimoniale, pro obiecto habent, quarum plures auctoribus meruerunt lauream in iure.

Hucusque, dissertationes huiusmodi, persaepe sub ductu optimorum et catholicorum professorum elaboratae, fere nullam movent obiectionem contra instituta canonica. At timendum est valde ne, sub ductu aliorum professorum, in aliis dissertationibus legislatio ecclesiastica variis modis postea impugnetur.

Studeant ergo professores in Facultatibus iuris canonici gallicis, ut Institutorum canonicorum historia sedulo doceatur, ne obiectiones ex hac disciplina depromptae nos imparatos inveniant.

Studium iuris canonici in Iaponia

T. Muto

Imperial University, Fukuoka (Japan)

Ius canonicum nondum sat bene cognoscitur in Iaponia. Perpaucae adhuc sunt de hoc iure publicationes. Iaponia recepit ius romanum atque augetur in dies etiam studium iuris communis. Quapropter studium iuris canonici fit valde necessarium nedum ad iura comparanda sed ad ipsum ius romanum bene intelligendum.

Bellum Iustum

I. Pasquazi

Pont. Inst. Utriusque Iuris, Roma

1. — Sententia quorundam iuristarum, nostrae quoque aetatis, qui rei ciunt distinctionem belli in iustum et iniustum, repugnat non solummodo cum principiis ethicis sed cum ipso iure internationali.

Bellum, enim, non est, ut ipsi tenent, factum extraiuridicum vel praeiuridicum sed est factum quod necessario regitur iure. Quaelibet relatio Statuum, sive tempore pacis sive tempore belli, iure regitur.

Pariter rei cienda est opinio iuristarum qui affirmant dari bellum iustum et iniustum simulque tenent bellum esse iniustum tantum si a iure positivo internationali prohibeatur. Haec opinio non differt substantialiter a praecedenti; utraque enim derivatur ex falso supposito: omnia Statibus licent quae iure positivo non prohibentur.

In Societate quoque internationali non est iniustum tantum id quod iure positivo prohibetur sed quidquid, insuper, opponitur principiis iustitiae naturalis seu legibus naturalibus quae veram vim obligandi habent et afficiunt etiam Status qua membra societatis internationalis.

2. — Sed quaenam requiruntur elementa ut bella licite suscipiantur? Quaenam doctrina Romanorum de bellis iustis? Quid docet Ecclesia?

Censemus Romanos existimasse elementa extrinseca *indictionis* et *declarationis* esse quidem necessaria ad bellum iustum suscipiendum sed non sufficientia. Romani existimarunt bella iusta ea esse quae gerebantur, praemissis a Patre Patrato indictione et declaratione, *ad laesionem iuris praecavendam vel vindicandam*.

Patres et Theologi qui ex professo de licitate belli egerunt, v. g. S. Augustinus, S. Thomas, Franciscus Victoria et Suarez, docuerunt tria esse elementa necessaria ad bellum iuste suscipiendum: titulum iustum seu legitimam auctoritatem, iustam causam et rectam intentionem.

Ad secundum elementum quod attinet, Patres et Theologi communiter docuerunt bella naturam habere, aliquo modo, poenae internationalis contra Statum qui aliorum iura laedit. Consequenter iuxta doctrinam Ecclesiae, bella suscipienda sunt tantum ad ulciscendas iniurias.

3. — Constanter, insuper, Patres et Theologi docuerunt bellum esse iustum si *necessarium*. Haec necessitas non habetur: a) si Status aliis mediis possunt plenam obtinere satisfactionem pro iniuria recepta; b) si ipsa Societas internationalis habet media ad urgendam plenam iuris laesi restaurationem.

Cum Status ligentur inter se tum vinculis moralibus tum vinculis iuridicis, ad obtinendam satisfactionem adhibere tenentur prius media pacifica et deinde coercitiva; et inter media coercitiva ea quae minora inferunt damna et ultimo loco bellum quod recte dictum est ultima ratio Regum.

Haec obligatio oritur non solummodo ex legibus positivis quas Status statuere possunt quasque reapse statuerunt pactis quibus obligationem susceperunt definiendi lites internationales mediis pacificis, sed etiam ex principiis iustitiae naturalis et ex principiis ethicis.

Status ratione vinculi iustitiae naturalis quo ligantur, nequeunt damna aliis inferre quae non sunt necessaria; immo ratione vinculi mutuae dilectionis, quo pariter ligantur inter se, debent aliis bene facere.

Quoties igitur adsunt media pacifica sufficientia ad iuris laesi plenam satisfactionem obtinendam et nihilominus Status media coercitiva et praesertim bellum adhibent, inferunt damna, et quidem gravia, non necessaria, excedunt limites iustae defensionis et consequenter agunt contra principia iustitiae et caritatis.

Pariter, si ipsa Societas internationalis qua talis haberet media necessaria et sufficientia ad restauranda iura laesa non amplius liceret singulis Statibus vim adhibere et praesertim bellum gerere. Ius gerendi bellum, hoc in casu, a singulis Statibus transiret ad ipsam Societatem internationalem.

Lex naturalis tribuit individuus ius defensionis contra iniustos aggress-

sores, sed exercitium huius iuris apud Status cultos, non relinquitur arbitrio singulorum sed regitur opportunis normis iuridicis. Status generatim habent media necessaria et sufficientia ad praecavenda, quantum fieri potest, iniurias et praesertim ad obtinendam congruam satisfactionem, et ad se ordinarie avocant ius restaurandi ordinem et defendendi iura subditorum. Cives, extra casus aggressionis actualis, adire tenentur publicos officiales Status ad obtinendam restaurationem iuris laesi.

Societati internationali eadem tribuenda esset facultas.

Status tenetur resarcire damnum iniuste passum ab iis qui fuerunt victimae delicti quando illi qui ad hoc tenentur non possunt illud facere

J. Ylla

Universidad de Santo Tomàs, Manila

Praefatio. — Caput I. Natura delicti. - § I. Natura delicti in ordine scientifico. - § II. Opiniones scholarum circa naturam delicti. - § III. Schola quae vocatur positivista. - § IV. Evolutio eiusdem. - § V. Opinio huius scholae circa delictum et iudicium eiusdem. - § VI. Delictum in legibus. — Caput II. Imputabilitas delicti. — Caput III. Imputabilitas delicti in ordine civili. - § I. Imputabilitas civilis delicti in ordine scientifico. - § II. Imputabilitas civilis delicti in historia legum. - § III. Imputabilitas civilis delicti in hodiernis codicibus nationum. — Caput IV. Personae quibus imputabilitas in delicto adscribi debet. - § I. Doctrina philosophica. - § II. Dispositiones legum in hac materia. — Caput V. Obligatio Status reparandi damna ex delicto orta, quando alii magis obligati nequeunt hoc facere. - § I. Status quaestionis et notiones historicae circa hanc materiam. - § II. Thesis et probatio eiusdem fundata in natura publica imputabilitatis civilis. - § III. Continuatio probationum - Magna differentia obligationum ex contractu ab obligationibus ex delicto. - § IV. Continuatio probationum - Fines Status. - § V. Continuatio probationum - Duae praecipuae demonstrationes iustitiae socialis. - § VI. Quae incongruentiae oriantur ex doctrina opposita thesi quam propugnamus. - § VII. Doctrina contenta in codice poenali hispanico probat etiam nostram thesim. — Caput VI. Solvuntur obiectiones contra nostram thesim. - Conclusio.

*Examen criticum scientiae iuridicae purae a Kelsen propositae ;
eiusdem negativo iuris naturalis et relativismus philosophicus*

Tonaka Kotaro

University, Tokio

Exponitur nova doctrina Kelsen, praemissa brevissima mentione de eiusdem vicissitudinibus. Simul refutantur logicismus, formalismus et relativismus neo-Kantismi. Asserta Kelsen :

1) Normae iuris naturalis constituunt *ordinem anarchicum* (sunt absque coërcitione);

2) Ius positivum est *ordo coërcitivus*;

3) Ius naturale *historicum* opponitur iuri naturali *puro*;

4) Ius positivum vim obligatoriam obtinet absque recurso ad ordinem naturalem, est enim hypotheticus et relativus;

5) Finis scientiae iuridicae in eo est ut intellegantur normae iam *existentes* non autem earum intimae rationes et fundamenta.

6) Tandem scientia iuridica pura et conceptio *amoralis neutra* et consequenter simpliciter *tecnica*.

Refutantur singulae hae propositiones: contradictiones involvunt, ad scepticismum ducunt. Huiusmodi doctrina inefficax prorsus est ad solutionem quaestionis socialis.



SEMINÁRNÍ
Hist.-práv.



KNIHOVNA
oddělení

REV15

ÚK PrF MU Brno



3129S03284